Digitized by Google

D:K.24 ~~2 R.~~
D.k.24.~~22167~~
~~xxx K. 18.~~

Digitized by Google

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES
PHILOLOGICAE.

Digitized by Google

Digitized by Google


PAVLLI M. PACIAVDI C. R.

HISTORICI ORD. HIEROSOL. REGIAEQVE ACADEMIAE
PARISIEN. INSCRIP. ET HVM. LIT. SODALIS

AD NVMMOS CONSVLARES
IIIVIRI MARCI ANTONII

ANIMADVERSIONES
PHILOLOGICAE

ACCEDIT EXPLICATIO
TABVLAE PELOPONNENSIS.



ROMAE CIƆIƆCCLVII.

EXCVDEBANT FRATRES PALEARINI
PVBLICA AVCTORITATE.

Digitized by Google



Digitized by Google



AD ERVDITVM NOBILEMQVE ARCHIATRVM

COMITEM FRANCISCVM RONCALLVM PAROLINVM.

SECTIO PRIMA.

Hiſtoriae, & rei nummariae ſtudia omnino copulanda. Nummi IIIviri Marci Antonii Romanis antiquitatibus explicandis quantum luminis ſuppeditent. Legionarius explicandus ſuſcipitur. Argumenta indicantur harum obſervationum. Quibus attexenda anaglyphi Medici interpretatio proponitur. Honores Archiatris olim decreti.

PRAECLARAM, mutuamque lucem ſibi invicem affundere hiſtoriam, & nummos, ut quae in annalium memoria videntur eſſe dubia, planeque obſcura, nonnumquam conſpectis nummis, quaſi face ſublata, aperta ac perſpicua mirifice evadant; viciſſimque ea, quae in nummis levi ſunt adumbrata veſtigio, hiſtoricorum ſcriptis explicari uberius, confirmarique poſſint, nemo adhuc dubitat, niſi qui communium litterarum, & politioris humanitatis omnino ſit expers. Quod quum per ſe ſe cognitum, ac manifeſtum ſit, quin huc ego in cauſſae praeſidium ea accerſam, quae de rei nummariae utilitate in veteri hiſtoria pertractanda, omnibuſque fere diſciplinis illuſtrandis a Span-

Digitized by Google

a Spanhemio [1], Froëlichio [2], Bartolo [3], Meibomio [4], Oliva [5], Adiſſonio [6], Cupero [7], Sponio [8], Lacharryo [9], Loëſchero [10], Grainvilleo [11], Zeibichio [12], atque a nobis ipſis [13] alias ἀποδεικτικῶς dicta, prolataque ſunt; optime de liberalibus ſtudiis promereri mihi videntur, qui nummos rariores, aut vere anecdotos, quos illis propitia ſors obtulit, cum aliis communicant, & eruditorum oculis objiciunt, ut quicquid luminis in litteras exinde redundat, liberrime fruantur. Horum in numero te eſſe habendum, RONCALLE ORNATISSIME, omnes facile conſentient, ad quos vulgatum a te nuper opus pervenerit, quique deprehendent, te primum poſt unum Goltzium [14] omnino ſingularem, & pere-

1 *De uſu, & praeſtant. Numiſm.*

2 *Utilitas rei nummariae compendio propoſita. Viennae* 1733. Iterum 1737. in libro, *Tentamina quatuor &c.*

3 *Diſſertazioni due di Giuſeppe Bartoli &c Verona* 1745.

4 *De uſu vet. numm. in illuſtranda hiſtoria Imperator. Rom. Helmſt.* 1684.

5 *De veter. nummor. cognitione cum hiſtoria conjungenda. Venet.* 1715.

6 *Dialogi de uſu nummor. in explicatione Poetarum*, Anglice.

7 Diſſertatio ad calcem Apotheoſeos Homeri: *Utilitas, quam ex numiſmatis Principes capere poſſunt. Amſtelodami* 1683.

8 *De l'uſage des medailles dans la Phiſionomie des Ceſars. Recherches d'antiquit. A Lion* 1683. Iterum edidit adjectis figuris Michael Heuſinger ad calcem *Caeſarum Juliani, Gothae* 1736.

9 Aegidii Lacarry oratio, qua antiquorum numiſmatum intelligentia interpreti ſacrae Scripturae neceſſaria oſtenditur. *Claromontii* 1671. in fine operis, *Hiſtoria Rom. per numiſmata, & marmora teſtata, & illuſtrata &c.*

10 Erneſti Loeſcheri *ſchediaſma de uſu vet. numiſm. in Theologia. Jenae* 1694.

11 *Sur l'uſage, que on peut faire des medailles par raport a la religion. Memoires de Trevoux. Aouſt* 1715.

12 M. Gottlob Erneſt Zeibichii *Obſervationes ſacrae ex nummis. Vittembergae* 1745. Quibus adde, ſi lubet, libros Joh. Caroli Aibharti, *de quaeſtione, majorne ſit inſcriptionum, an veterum nummorum uſus in re litteraria,* contra Marquardum Gudium inſcriptiones praeferentem. *Vittember.* 1694. Spiridionis Poupartii *Reflexions ſur la ſcience des Medailles. à Paris* 1705. Balthaſſaris Adolphi de Steinvvehr *de uſu numiſmatum in hiſtoria Germaniae antiqua. Ffurti ad Viadrum* 1742.

13 Plura etiam nos ipſi de rei nummariae utilitate praefati ſumus, quum librum ederemus: *Oſſervazioni ſopra alcune ſingolari, e ſtrane Medaglie. Napoli* 1748.

14 Hubertus Goltzius, *in hiſtoria Impp. ex antiquis numiſmatis reſtituta. Brugis Flandrorum* 1563. edidit omnium primus nummum Antonii cum nota LEG. XXX. Verum, vel quia ille falſos, & novitios nummos veris, & antiquis quandoque permiſcuit, ac copulavit; vel quia nullus alius hoc typo expreſſus in eruditorum manus adhuc inciderat, Goltzianus certe ab antiquariis minimi habitus eſt: quare Sigebertus Havercampus in recenſione Theſauri Morelliani Amſtaelod. 1734. ad nummos ſuſpectae fidei illum rejecit; quamvis deinde Matthias Geſnerus in collectione nummorum, Tiguri 1738. nullo diſcrimine cum genuinis con-

Digitized by Google

peregrinum Familiae ANTONIAE nummum, cum nota LEG. XXX. in apricum extuliſſe, novique hujus cimelii cognitionem litteratorum hominum reliquiſſe judicio. Cui tuae in litteris juvandis, provehendiſque egregiae voluntati non poſſum ego ultro non morigerari; & quoniam me pluries per humaniſſimas epiſtolas compellaſti, quis de praeſtanti hoc nummo meus eſſet ſenſus, aliquantulum otii tandem nactus, palam, ac candide aperiam, fidemque, quam tibi jamdudum oppigneraveram, hac mea *ἐπικρίσει* liberabo. Ad eam autem perſcribendam, gravioribus ſepoſitis ſtudiis, & tempus, & cogitationes libenter traducam, quod ad liberaliſſimam quamdam, honeſtamque animi remiſſionem hoc litterarum genere tantum oblector, quantum neſcio, an ulla res alia ſit, quae mihi plus afferat jucunditatis. Neque tamen his litteris percipiendis, excolendiſque, quum ſumus neceſſariis negotiis, curiſque vacui operam daremus, ſi ex hujuſmodi ſtudiis ſola voluptas peteretur, nullus autem oſtenderetur fructus, nec aditus aliquis pateret ad verum inveniendum. Sed inſunt revera in eo, in quo verſamur, argumento humaniſſima invitamenta, quibus utilitas praetendatur, adeoque ad illud diligentius explicandum permoveamur. Nam quis eſt, qui quum aliquod ANTONII monumentum ſibi interpretandum proponi videat, ſtatim non animadvertat, latiſſimum pandi campum, in quo plurimum vagari, & exultare queat oratio, varietatemque rerum Romanarum hinc evolvi, diſtingui, explanari poſſe non intelligat? Quum enim Antonius animum induxiſſet, ſibi licere quaecumque vellet, ſic publicam rem ſimulatione, gratia, eloquentia, artificiis, dolis, audacia, vi, armis, fortuna, turbavit, oppreſſit, obtinuit, ut quemadmodum Helena Trojanis, ſic ille Reip. cauſſa peſtis, cauſſa exitii fuerit [1]. Atqui furentes, ac horribiles ejuſmodi violentiae impetus tam varios tulerunt caſus, & eventus, ut quae de Antonio ab hiſtoricis paſſim traduntur, niſi nummos in conſilium adhibeas, non incredibilia modo, ſed minime

conſociarit. Nemo tamen ſcriptorum, qui nummum ſprevit, repudiavitque, illum prae oculis habuerat, ac neſcio an ſola monumenti novitas poſſet eidem omnem derogare fidem. Qui nunc prodit, denarius, Goltzium fortaſſe ſuſpicione magna ex parte abſolvet. Legiones xxx. ad nummorum fidem etiam Mediobarbus enumerat, *in Anton. Mediolani* 1730.

1 Cicero *Philippica II. edit. Olivet.*

nime inter ſe ſe cohaerere putentur. Plura fortaſſe in tui nummi explicatione a me componi, conciliarique poſſe confido; atque illud imprimis curabo, ut aliquid certi conſtitui poſſit de Antonianis Legionibus, nonnulliſque aliis hujus viri expeditionibus, ac geſtis, quae nummus ſubindicat: quae ſane omnia ambigue, & obſcure, aut ſaltem inconſtanter litteris prodita ſunt. Quo fiet, ut in hac hiſtoriae parte pertractanda, atque in antiquarum rerum recordatione, non ſola voluptas, ſed utilitas etiam a nobis anquiratur. Novi equidem ex datis ad te a Clariſſimis Froëlichio, & Planco epiſtolis [1], Areoſtum Vindobonae, & Stoskium Florentiae nummos tuo plane aſſimiles, iiſdemque prorſus numeralibus notis obſignatos fuiſſe adeptos, & illos pro ſinceris, & germaniſſimis habere. Quumque probe teneam, eruditorum illud par in his monumentis dignoſcendis, dijudicandiſque ingenio, doctrina, uſuque aſſiduo multum valere, injuriam procul dubio viris ſcientiſſimis facerem, ſi de illorum judicio addubitarem. Utriſque potius de re nummaria, cujus ſtudio, & amore tenentur, gratificari me poſſe reor, dum, te petente, praeſtantiſſimum horumce numiſmatum typum declarare aggredior. Quod ſi ego diverſis officiis, curiſque diſtentus, ſerius tuis litteris reſpondeo, quam aut tua humanitas, aut mea propenſio videbatur poſtulare, ſilentii diuturnitatem diligentia, copiaque rerum compenſabo. Satiſque idonea occaſione oblata, ex his, quae a me ſciſcitaris, nonnullas hallucinationes, perverſaque judicia, quae in numiſmatis aeſtimandis, interpretandiſve viris cetera doctis obrepſere, ſic adnectam, ut ſint priorum animadverſionum quaſi quaedam conſectaria. Tandem epiſtolam paullo liberius excurrere, & a nummis ad inſignis cujuſdam anaglyphi medici explicationem delabi permittam, ut quoniam nullum officii genus, quod ad meam utilitatem, commoditatemque ſpectaret, eſt a te praetermiſſum, ſingularem hanc tuam benevolentiam, liberalitatemque mutuo ſtudio remunerer. Nullam autem tibi a me offerri poſſe exiſtimavi acceptiorem *ἀντίδοσιν*, quam ſi aliquod monumentum in lucem educerem, quo propalam commendetur nobiliſſima ars illa e coelo delapſa, & Deorum immortalium inventioni conſecrata [2], ad quam

1 *Epiſtolar. ad Roncallum Volum.1. pag. 274. 275. Brixiæ 1755.*
2 Cicero *Tuſculan. quaeſt.*111.

quam exercendam tu natalibus clarus, publicaque tantum utilitate permotus, animum adjeciſti; ac in ea ſic ſemper es verſatus, ut cum Medicinae facultate ceteras elegantiores artes felici nexu copulaveris, quemadmodum Aſclepiadi Bythinio ſumma cum laude contigiſſe a Tullio accepimus [1]. Porro monumentum ad id, quod quaerebam, aptiſſimum Venetiis ante paucos annos ἀγαθῇ τύχῃ eram conſequutus, ac quandoquidem non is ego ſum, qui tibi Archiatro, juxta ac philologo auream coronam, aut ſtatuam juxta Aeſculapii ſignum, aut alios publicos honores decernam, quos Hippocrati ab Athenienſibus [2], Antonio Muſae a Romanis [3], aliiſque illuſtribus medicis a Smyrnaeis [4], atque a Lampſacenis [5] decretos legimus, ſaltem hujus toreumatis interpretationem, hocque litterarium munuſculum tibi inſcriptum, dicatumque volui μνείας χάριν. Sed jam de re dicere incipiamus.

1 Cicero *de Oratore I.* Graecam excellentis hujus Medici, ac philoſophi iconem brevi, ſed eruditiſſima diatriba illuſtravit Blaſius Cariophylus *Diſſertat. Miſcellanear. part.*1.*num.*VI. *Romae* 1718. Atque illud hoc loco obſervare juverit, Patino praeeunte (*In Antiq. Cenotaphium Smyrna advectum Patavii* 1684.) τὸ *Aſclepiades*, fuiſſe magnificum quodam nomen, & ἐπίθετον, quod honoris cauſſa medicis praeſtantioribus addebatur. Plures Aſclepiades, qui medicinam laudabiliter, fortunateque factitarunt, enumerat Sponius (*Recherches Curieuſes d' antiquite. Diſſertat. Vint-ſiptieme a Lion* 1683.) Clericus in eximia ſua Medicinae hiſtoria undecim recenſet. (*Seconde partie liv.* III. *chap.* x. *divers medecins du nom d'Aſclepiade a l' Haye* 1729.) Huic elencho tres adjicio Aſclepiades, ſcilicet *Marcum Artorium*, cujus monumentum explicavit Patinus, (*loc. cit.*); alterum, cujus meminit Graeca inſcriptio Muſei Tuſculani ampliſſimi, longeque doctiſſimi Cardinalis PASSIONEI, ter jam typis excuſa, in litterariis Ephemerid. Romanis Palearini *An.* 1748. *Aprile art.*XV., in novo Theſauro Muratorii, *tom.*II. *claſs.*x. *pag.*DCXCVI.V., & in Anthologia Cl. Franciſci Bonadae: *Carmina ex antiquis lapidibus tom.* 1. *claſs.*V. *pag.*429. *Romae* 1751. demum Aſclepiadem Cyprium hiſtoricum, & Medicum, de quo Johannes Freind in *hiſtoria Medicinae ad annum* 500. *Pariſiis* 1735.

2 Clericus l. c. *livre* II. *chap.* XXXI.

3 Suetonius in Auguſto *cap.* LVIIII. *edition.*

4 Praeter libellum Patini mox indicatum, confer alterum celeberrimi Richardi Mead, *De nummis a Smyrnaeis in Medicorum honorem percuſſis. Londini* 1725.

5 Spon. ubi ſupra *pag.*448.

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

Nummi Antonii adulterini, aut ex impuro metallo. Locus Plinii eo pertinens. Pſeudonummis dignoſcendis plurima accuratio adhibenda. De nota numerali noſtro affixa. Pugnatum olim a Romanis exiguo numero Legionum. TRICESIMAE *laudes ex marmoribus litteratis.* VLPIA *cur, & quandiu dicta. An etiam* TRAJANA *nuncupata.*

PRincipio quidem illud tamquam certiſſimum mihi perſuadeo, nummum eſſe genuinum, vereque in publica officina olim percuſſum, non a veteratore aliquo τῷ παραχαράκτῃ, qui pecuniam ſitiret, & antiquariis fucum facere vellet, viriculo corruptum, & adulteratum: memini enim vidiſſe me argenteum denarium, cui impreſſa nota, LEG. XXXI., ſed non adeo ſcienter, ac concinniter caelata, ut calidiſſimi artificis vafrities poſſet harum rerum peritos in fraudem inducere: nulluſque dubito, te in hiſce ſtudiis diu verſatum, ea omnia periclitatum fuiſſe, quibus moneta adulterina a ſinceris, optimaeque notae nummis internoſci conſuevit. Quae quidem diligens, prudenſque animadverſio, ſi ubique adhibenda, laudandaque eſt, quum de M Antonii pecunia agitur, omnino mihi videri ſolet perneceſſaria. Teſtatur ſiquidem Plinius [1], hunc IIIvirum denario aliquid miſcuiſſe falſae monetae; & quamvis plerique arbitrentur, Plinii locum eſſe intelligendum de nummis Alexandriae percuſſis, jugata capita Antonii, & Cleopatrae referentibus, nihilominus hanc metallorum mixtionem, facto periculo, in nonnullis argenteis Conſularibus ſimiliter deprehendi. Si itaque pecuniae flandae, feriundae metallo eſt ille uſus impuro, facilius ad illius ſimilitudinem, nummi adulterini hac noſtra aetate procudi, ſignarique poterunt. Injurius profecto ſim, ſi tibi in mentem revocem praecepta multo aptiſſima, quae luculenter, cumulateque tradiderunt Rinkius [2], Vangeſelius [3], Jobertus, & Bi-

1 *Hiſt. Nat. lib.* XXXIII. *cap.* XLVI. *edit.* II. *Pariſien.* Harduini, qui ex Codice Bibl. Regiae pro *miſcuit* reſtituendum putavit *miſcentur*; ſed rei perſpicuae tenebras diſputando offudit.

2 *De veteris numiſmatis potentia, & qualitate c.* XVI. *Lipſiae, & Francofurti* 1701.

3 *De Re Monetali veter. cap.* XXIV. *&* XXV. *Altorfii* 1723.

Bimardius [1], Bavueuſque [2] ad pſeudonummos di gnoſcendos. Antonianum hunc tuum oculata, ita dixerim, manu te iterum, iterumque contrectaſſe autumo, metalli pertentaſſe pondus, figurarum, litterarumque formas cum genuinis contuliſſe, nummi oram leviter ſcabere haud eſſe oblitum, & num aliqua in characteribus, lineamentiſve eſſet obliquitas, aut ſcabrities, ſedulo perpendiſſe. Verum etſi nulla ex monetae fabrica falſitatis ſuſpicio perſentiſcitur, erit fortaſſe, qui haeſitans, ac dubius animi pendeat, inſpecto legionis TRICESIMAE numero. Rem paullo altius diſpiciamus.

Non ſum ego inſciens, exiguo admodum legionum numero Romanos primum decertaſſe; nam anno V. C. CCLIX. Manio Valerio Dictatore, quum decem legiones P. R. placuerit conſcribere, tantum increviſſe exercitus viſus eſt, teſte Livio [3], quantum numquam ad eum diem fuerat. A quo illud etiam perhibetur, bellum univerſum an. DXXXIX. nonniſi duodeviginti legionibus fuiſſe geſtum [4]. Sed aucta, propagataque Rep., non tam ad novas provincias occupandas, quam ad imperium bello quaeſitum armis, praeſidiiſque tuendum neceſſe fuit augeri numerum legionum: quae deinde varia ſortitae ſunt agnomenta, vel ab ordine, ut *prima*, *ſecunda*, *tertia*, vel ab inſtitutoribus, ut *Auguſta*, *Claudia*, *Galbiana*, vel a locis, ubi primo tutelae cauſſa conſtiterant, ut *Italica*, *Fretenſis*, *Cyrenaica*, vel a Deorum numine, & patrocinio, ut *Apollinaris*, *Venerea*, *Minervia*, vel a devictis provinciis, ut *Scythica*, *Lybica*, *Macedonica*, vel tandem ab eventibus, ut *Fulminatrix*, *Victrix*, *Adjutrix*. Magnum in his nomen fuit legionis TRICESIMAE, cujus bellica virtus, fides, conſtantia in litteratis marmoribus ſaepenumero commendatur: quibus monumentis illorum memoria in omnem poſteritatem conſecrata eſt, qui ea in legione aut ſtrenue militarunt, aut Tribunatum, aliamve dignitatem objerunt, aut praemiis affecti ſunt ſplendidiſſimis [5]. Neque vero illuſtris haec Romani exercitus pars in ejuſmodi lapidibus continenti quadam, perpetuaque appellatio-

B 2 ne

1 *Science des Medailles tom. 1. inſtruct. x. à Paris 1739.*

2 *La maniere de diſcerner les Medailles antiques de celles, qui ſont contrefaites. à Paris 1740.*


3 *Lib. 1I. c. xxx. edit. Oxonii 1708.*

4 *Lib. xx. cap. xI.*

5 Grut. CCCCLXXXI. 4. 5. CCCIX. 6. DXLI. 11.

Rei-

ne *Fortis*, *Valens*, *Fidelis*, *Pia*, *Felix*, *Victrix* nuncuparetur, niſi robore plane ſingulari, militaris diſciplinae praeſtantia, animique firmitate, tum etiam devicto crebrius hoſte ſupra ceteras legiones revera enituiſſet. Sed alia eſt paronomaſia, quae cum his perhonorificis titulis jugiter ſolet eſſe conjuncta, & qua una legio Triceſima peculiariter, & expreſſe a reliquis diſtinguebatur; ut enim communi hominum ſermone, ita in publicis tabulis VLPIA dicebatur. A Trajano Vlpio imperatore repetenda procul dubio agnominatio, qui in expeditione Dacica potiſſimum aut illam inſtituit, aut quia plurimum in illius fortitudine, ac virtute fidebat, ſibi ſpecialiter addixit, & cujuſque praeclari facinoris comitem, & adjutricem voluit. Nam etſi, referente Dione [1], *Τραϊανὸς τὸ δεύτερον τὸ Ἀιγύπτιον, καὶ τὸ τριακοςὸν τὸ Γερμανικὸν*, *Trajanus ſecundam* (legionem) *Aegyptiam*, *& triceſimam Germanicam* appellari juſſiſſet; nihilominus propenſior benignitas, favor, ſtudium, quibus imperator hanc proſequebatur legionem, effecerunt ſane, ut honoris, publicaeque exiſtimationis cauſſa, ducto potius ab illo, quam alio quovis nomine donaretur. Nec Trajani interitu, & imperii, rerumque mutatione, ut ſaepe accidit, haec appellatio in invidiam venit, vel obſolevit, ſed longum perduravit in aevum. Quamobrem in nummo argenteo Septimi Severi, qui centum ferme poſt annos imperium tenuit, VLPIAM adhuc eam legionem nuncupari conſpicimus.



Imo

Reineſius *claſſe* I. LXXIX.
Dorius *claſſe* I. XVIII.
Oudendorpius *Monumenta Papenbroekiana num.* V. *Lugdun. Batav.* 1746.
Maffeius *Muſeum Vindobon.* CCXLI. 5. CCXLII. 1. 2.
De vita *Theſaur Antiquitat. Beneventan. claſſe* VII. XXX. 8.
Saxius *Pericul. critic. in Marmor.* c. V. *pag.* 63. *Lipſiae* 1746.
1 *Roman. hiſt. lib.* LV. *edit.* Reimari *tom.* II. *Hamburgi* 1752.

Imo vero idem agnomentum ſerius adhuc huic legioni manſiſſe, indicio eſt monumentum Alexandro Severo a militibus Leg. xxx. v. v. p. f. ideſt *Vlpiae Victricis*, *Piae Felicis* dedicatum, quod ex Clupero exſcripſit Cl. Muratorius in novo Theſauro [1]. Facile etiam aſſentirem, *Trajanam* fuiſſe dictam, ſi alia hujus appellationis probabilia teſtimonia ſuppeterent, quam quae a Gudio producuntur [2]. At quis fucum, ac commentum Ligorianum non ſuſpicabitur in duobus illis marmoribus?

D. M.
M. CALDIVS . M. F. CLAVD.
TORQVATVS
EQVES . PHALERATVS
LEG. XXX. TRAI
ANAE . FORTIS . FIDEL. &c.

D. M.
P. IALVS . L. F. TREMINVS
EQVES . ROM. PRAEF. TVRM.
LEG. XXX. VLP. TRAIAN. &c.

Sed haec perfacilem, & expeditam habent intelligentiam. Illud eſt inquirendum, an Antonii aetate legiones ad numerum uſque xxx. progrederentur, nam ſi id nonniſi Trajani, aut Trajano proximis temporibus factum pateret, perſpicue intelligis, mi Roncalle, de tui nummi γνησιότητι quantopere eſſet ambigendum.

SE-

1 *Claſſe* V. CCCLV. 2. 2 Ex Ligorio edidit Gudius.

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

Robortellum fortaſſe primum Dionis teſtimonium de veteri legionum numero perverſe ſollicitaſſe. Tacitus perperam ad eumdem elevandum adductus. Varia Appiani loca de legionibus tranſtriceſimis explicantur, ac conferuntur. Inter Antonianas XXXV. *recenſenda.* TRICESIMAM *eiſdem adjungendam ex Paterculo colligitur. Dictorum conſectaria.*

POſtquam Franciſus Robortellus in commentatiuncula *de legionibus*[1] illud ex Dione obſervavit, Auguſti aevo XXIII., aut XXV. ali conſueſſe: εἴτ' οὖν τρία, εἴτε πέντε, καὶ εἴκοσιν ὄντα, *ſive viginti tres, ſive viginti quinque illae fuerint*[2], plerique ſunt rei militaris ſcriptores, veterumque monumentorum enarratores, qui *Robortellum* ſequuti, atque hoc Dionis teſtimonio fiſi ceterarum legionum, adeoque etiam *Triceſimae* initia longe recentiora depraedicant, quam ut ad IIIviratus aetatem revocari queant. Cui ſententiae Tacitum etiam ſuffragari putant, quandoquidem is recenſens militares copias, Tiberio imperante, legiones tantummodo XXV. enumerat[3]: quibus illud neceſſario confici ajunt, argenteos denarios M. Antonii ad ſpurios eſſe rejiciendos. Sed omnis haec oratio ita eſt enervis, ἐξωσφυμένη, & male

1 Edita *to.* I. *Miſcellaneorum* Gaudentii Roberti. *Parmae* 1690., deinde in Grevii Theſauro *tom.*X.

2 *Loc. cit.* Ex Auguſteis legionibus XIX. uſque ad Severi Imp. aetatem ſupererant, teſte Dione, qui tum annales ſuos conſcribebat. At Joh. Jacobus Breittingerus *in Amoenitatibus litterarum Schelhornianis tom.* VII. numerales notas in Dione putat eſſe refigendas, & pro ΔΠΙΙΙΙ. legendum ΔΠΙΙ. Revera, etſi nullo in Codice Reimaro eruditiſſimo pro ἐννεακαίδεκα, occurrerit ἑπτακαίδεκα, libenter ego ſuam emendationem Breittingero concedo; ſi enim quas Dio in orationis textura, reique dilucida enarratione recenſuit, legiones numeremus, nonniſi XVII. reperiuntur: ideoque compendiarias notas a deſcriptoribus fuiſſe vitiatas, certiſſimum videtur. Quot autem Dionis aevo eſſent conſcriptae, haud obſcure ex illius verbis colligi poterit. Acutiſſimus Tillemontius in vita Auguſti *art.*XIV. haec habet. *Pour les legions Dion (livre 55.) marque celles, qui eſtoient de ſon temps, au commencement du* III. *ſiecle de l'Egliſe; & elles eſtoient alors au nombre de trente-deux. (Hiſtoire des Empereurs tome* I. *à Veniſe* 1732.) Recte ne rationes duxerit, an in ſupputatione binae redundent legiones, aliis permittam inveſtigandum.

3 *Annal. lib.*IV. *cap.*III. *edition.* Gronovii. *Traject. Batav.* 1721.

le collecta, ut levi refutatione convelli, labefactarique poſſit. Ac primo haud ſatis mirari queo, cur in Dione, Tacitove tam confidenter aquieſcant, qui res Auguſti, & Tiberii imperio geſtas, devicto, & mortuo jam Antonio, in his locis exequuntur, quum praeſto ſint ſcriptores alii, quorum oratio in IIIvirum hiſtoria tota conſumitur, quorum ex teſtimonio xxx. & ultra in caſtris Romanorum legiones, dum Antonius vita frueretur, exſtitiſſe condiſcimus. Praeterea, an quae Dio, quae Tacitus ſemel accidiſſe perhibent, ita ſunt accipienda, ac prolatanda, quaſi omnem Reip. epocham concludant? Quam importune duo illa teſtimonia excitentur, liquido conſtabit, ſi ad Triumviralis hiſtoriae deſcriptores, atque ad eos, qui geſta ab Antonio expreſſim teſtata reliquerunt, provocaro. Appianus Alexandrinus ex multiplici teſtium copia primo eſt producendus, a quo apertiſſime dicitur, Mutinenſi foedere ad Lavinum [1], inter Antonium, Lepidum, & Octavium inito, legionum numerum ad XLIII. perveniſſe, ſed diuturni belli jactura, ac detrimento poſt Philip-

1 In inſula quadam, quae a binis Lavini fluminis ramulis duobus a Bononia circiter paſſuum millibus relinquitur, Triumviros junxiſſe manus, illucque ad partiendum inter ſe ſe imperium fuiſſe congreſſos, quin apocryphi illa marmora conſulamus, quae a Malvaſia proferuntur (*Marm. Felſinea ſect. IV. cap II. ſect. X. cap. IV. Boniae 1690.*) exſtat luculentiſſimus de ea re locus Dionis *lib.* XLV. *in fin.* In quo excuſari vix poſſe reor Malvaſiam, qui Panvini verba (*Romanor. Principum libri lib. I. pag. 18. Baſileae 1558.*) quae, multis interjectis poſt titulum DIVVS. AVGVSTVS. PATER, adſcripſit, *III. VIR. R. P. C. cum M. Antonio, & M. Lepido ſe ipſe creavit V. calend. Decembris eodem anno* (DCCXI.) *in agro Bononienſi*, tamquam integram, vetuſtam, ſinceram inſcriptionem lectoribus ingerit. Marmoribus ψευδεπιγράφοις adde illud a Ferretio allatum, *Muſae lapidariae pag. 316. Veronae 1672.*, quo oſſa militum in bello Mutinenſi ab Antonio caeſorum communi tumulo, juſſu Germanici Imp. condita perhibentur. Triumviros autem ad Lavinum *junxiſſe manus* dixi, quod veteres hoc ritu foedera paciſcerentur. Videſis noſtram *Anaglyphi Graeci interpretationem Romae 1751.* Quapropter inita poſt bellum Peruſinum, inter Antonium, & Caeſarem concordia, Coccio Nerva conciliatore, denarii in vulgus dati ſunt, in quibus duae dexterae invicem junctae, caduceum, pacis ſymbolum, tenentes conſpiciuntur, addita deſuper epigraphe: M. ANTON. C. CAESAR. Nova per IIIviros enata imperii forma, publicae monetae tres manus invicem junctae, ſecuri, caduceo, & faſcibus Conſularibus circumpoſitis, fuerunt inſculptae. Nummum protulit Oiſelius in *Theſauro tab. LXXVII. Amſtaelodami 1677.* Quamvis imperatorum, exercituum, urbium, populorumque confoederationes duplici tantum dextera plerumque exprimerentur, conſulto

lippenſem victoriam ad XXVIII. fuiſſe redactas. Verba ipſa hiſtorici praeſtat apponere: *ὁ μὴν οὕτως εἶπεν ἐς ὀκτὼ καὶ εἴκοσι τελὴ πεζῶν τὴν χάριν περιφέρον ὅτι, οἶμαι, τρία καὶ τεσαράκοντα ἦν αὐτοῖς ὅτε Μυτίνη σωυηλασσοντο ἀλλήλοις καὶ τάδε ὑπισχοῦντο ὁ δὲ πόλεμος αὐτὰ ἐς τοσοῦτον ὑπετεμνόχει. Sic ille* (Antonius) *dixit, viginti octo* (ſuperſtitibus) *legionibus oſtentans gratiam, quum ad Mutinam icto foedere, quadraginta tribus integris* (quae tum exſtabant) *promiſſa eſſent praemia; adeo vi belli* (quum Antonius Epheſi ad Graecos concionem haberet) *imminutus erat legionum numerus* [1]. Si igitur TRICESIMA inter eas annumeranda eſt, quae imperii ſumma inter IIIviros diſtributa, fuerant ſacramento rogatae, nihil contra hiſtoriae probabilitatem, veritatemque repugnat, eamdem Antonii mercede militaſſe. At inquiunt, mendum caligraphorum inſcitia in Appiani textum irrepſiſſe. Demus id hoc uno in loco fortaſſis accidiſſe; profecto Graecum ſcriptorem non ubique mendoſum affirmabunt. Igitur, ut rem preſſius urgeam, quid de legionum numero per ea tempora uſitato Appianus, tam diligens, tam acutus Triumviratus deſcriptor, ſparſim tradiderit, expendamus. De Caeſare teſtatur ad praeoccupandam hominum ſtudia, juſſiſſe Italicas civitates veteranis adſcribi, & *τεσσαρσί τε, καὶ τριάκοντα τέλεσιν ἀντὶ ὀκτὼ, καὶ εἴκοσιν τῶν συμμαχησάντων ἐπινέμειν, legionibus triginta quatuor, non ſolis viginti octo, quae pro ſuis partibus pugnabant, agros dividi* [2]. Ex quo perſpicue apparet, internecino illo Reip. bello duas fuiſſe legionum factiones: at ſi vigeſimaoctava ad Caeſaris rationes ſe adjunxerat, triceſima quarta, quam ille liberalitate allicere, ſibique una cum reliquis devincire ſtudebat, cui quaeſo favebat, niſi inimiciſſime adverſanti Antonio? Rurſus utriuſque copias quaſi

ſulto hic pro foederatorum numero auctus eſt numerus manuum. Alias etiam id factum perſpicimus in nummo Valeriani Salonini *Oiſel. tabul. LXXII.*, in cujus adverſa parte tres item manus conſertae viſuntur, addita epigraphe: CONCORDIA AVGG. ſcilicet ipſius Valeriani, Gallieni, & Valeriani junioris, qui imperium concordi animo inſimul adminiſtrarunt. Quid vero ſibi velint in Galbae nummo Corinthi percuſſo quatuor dexterae decuſſatim conjunctae, adhuc mihi eſt incertum. *V. Muſeum Arigon. Num. Coloniar. tab. III. num. 36. Tarviſii* 1741.

1 *De bello civili lib. V. edit. Henrici Stephan.* 1592. & *Amſtaelodam.* 1670. Aliter tamen Appiani verba in latinum duximus eſſe tranſmittenda, perſpicuitatis gratia.

2 *Ibi*.

Digitized by Google

quaſi componens noſter Appianus ait, Caeſarem hoſtes tandem ſe praelio ſuperaturum, victoriamque a ſuis conclamatum iri exiſtimaſſe, quod ſupra XL. jam comparaſſet legiones. ὁ δὲ Καῖσαρ Ἀντωνίον μὲν, καὶ Πομπηίον, καὶ Ἀηνοβάρβον κατὰ πλῆθος ὁπλιτῶν ὑπεροίσειν ἐνόμιζεν· ἦγε γὰρ πλῶν ἐς τοτὲ τεσσαράκοντα πλεόνων. *Caeſar autem putabat, ſe Antonium, & Pompeium, Aneobarbumque ſuperaturum legionum numero, habebat enim jam ſupra quadraginta* [1]. Ergo ſi de Caeſariano exercitu ſermo ſit, quid evidentius, Dione etiam repugnante, pluſquam XXVIII. legiones fuiſſe in eo conſcriptas? Harum vero, vel ſaltem *Triceſimae* imperium in tanta rerum viciſſitudine ad Antonium tranſmitti potuiſſe, quis inficiabitur? Plura alia ſunt hiſtorici Alexandrini teſtimonia, quae ſciens praetaereo, ne diutius videar in uno genere verſari. Jam vero, ut totam hujus rei controverſiam concludam, ac definiam, an ubique in Appiano librariorum incuſabimus oſcitantiam? ubique numerales notas corruptas, depravataſque ſuſpicabimur? Si haec una ratio valeret, de quovis veterum ſcriptorum teſtimonio eſſet ambigendum, nullaque tam certa, tamque probata erit lectio, de qua infinitae, & concertationum plenae diſputationes non inſtituantur. Sed quid adhuc cunctamur? Satis, ut, arbitror, adverſariorum argumentationem evicimus, plane eſſe ἀσυλλογίστην.

Quamquam prolixior iſta de Dionis, Appianique, ſi qua tamen eſt, ἀντιλογίᾳ fruſtra a me ſuſcipitur inveſtigatio, quum omnis controverſia facilius tranſigi, dirimique poſſit illorummet hominum auctoritate, qui ſocii, conſorteſque fuere calamitatum omnium, quibus P. R. libertas, Antonio inſtigante, exagitata, proſtrataque eſt. Omnium primus Galba eſto, qui in epiſtola ad Ciceronem de bello Mutinenſi, Hirtio, & Panſa Coſſ. verba faciens ita apertiſſime ſcribit: *Antonius legiones eduxit duas, ſecundam, & QVINTAM TRIGESIMAM* [2]. Duae heae legiones, quae ex quatuor Macedonicis cum Antonio remanſerant, ita tenaciter, fideliterque illi favebant, militibus animo ita excelſo conſtabant, ut Tullius plurimum Reip. intereſſe putarit, ſi ad defectionem propoſitis praemiis invitarentur. Quare in concione ad Senatum ajebat, edicendum fore: *iis militibus, qui de legione ſecunda,*

1 *Ibidem.*

2 Inter familiar. Ciceronis *lib.* X. *epiſt.* XXX.

Digitized by Google

da , & triceſimaquinta ad C. Panſam , & A. Hirtium Conſules veniſſent , ſuaque nomina dediſſent , quod iis Senatus auctoritas , populique Romani libertas cariſſima fuerit , vacationem militae ipſis , liberiſque eorum eſſe , placere [1]. Animum advertas velim , VIR EGREGIE , ad haec Galbae , Tulliique verba , & niſi omnia perturbare , ſcriptorumque ἡλικιωτῶν fidem abijcere mens ſit , id profecto fatebere , neminem ſic a veritate aberrare , quam qui legiones tranſtriceſimas , ab Antonianis expungunt . At nihil hactenus eſt a me allatum , quo demonſtretur milites *Triceſimae* , de qua potiſſimum agitur , Antonii factionem eſſe ſequutos ; quum potius ex Aſinii Pollionis epiſtola quadam ſuſpicari liceat , eos in maximo etiam rerum publicarum diſcrimine Caeſaris partibus ſtuduiſſe , nec officio , fideique militari defuiſſe . Pergam igitur , & verbis pauciſſimis hanc unam legionem inter Antonianas numerandam invicte oſtendam . Accipe , quae Pollio , glorioſus ille vigilantiae ſuae , virtutis , praecipuaeque in Remp. caritatis jactator ad Ciceronem Corduba perſcripſerit . Lepidum , & Antonium litteris ad eum datis vehementer contendiſſe ajebat , ut illis legionem XXX. traderet ; ſed nec minis , nec blanditiis , nec periculis debilitatum & fractum ſe utrique contumaciter obſtitiſſe , lectiſſimaſque haſce copias Senatui conſervaſſe . *Nam de LEGIONE TRIGESIMA tradenda quantas habuerim contentiones quid ego ſcribam? qua tradita, quanto pro Repub. infirmior futurus fuerim, quis ignorat? Hac enim legione noli acrius , aut pugnacius quidquam putare eſſe* [2] . Haec an. V. C. DCC. XVII. Kal. Apriles ſcripſit Pollio , deinde VI. Idus Junias iterum per litteras Tullium ſic affatur . *Tres legiones firmas habeo , quarum unam* XXVIII. *quum ad ſe initio belli arceſſiſſet Antonius hac pollicitatione , quo die in caſtra veniſſet , denarios quingenos ſingulis militibus daturum , in victoria vero eadem praemia , quae ſuis legionibus , incitatiſſimam retinui , aegre mehercules : nec retinuiſſem , ſi uno loco habuiſſem , utpote cum ſingulae cohortes ſeditionem fecerint . Reliquas quoque legiones non deſtitit litteris , atque infinitis pollicitationibus incitare . Nec vero minus Lepidus urſit me , & ſuis , & Antonii litteris , ut legionem Triceſimam mitterem ſibi* [3] . Quid tandem egit homo , qui dictitabat , ſe Caeſarem ſumma pietate , & fide diligere ? Nullum eſſe peri-

1 Ad fin. *Philipp.* V. 3 *Epiſt. famil.* X. XXXI. 4 *Ibidem . Epiſt.* XXXII.

periculum, quod pro Repub. vellet ſugere, aut deprecari, Senatus rationes, auctoritatemque ſe omni ope defenſurum? Tempori paruit, Antonii potentiae, ac calliditati ceſſit, legioneſque ei tradidit; vel potius ob intimam cum illo familiaritem, fidem tamen in Caeſarianos ſimulans, Antoniarum partium adjutor fuit. Rem univerſam paucis concluſit Vellejus Paterculus, cujus eſt veriſſima illa, & digna integerrimo hiſtorico ſententia. *Plancus deinde dubia, ideſt ſua fide, diu quarum eſſet partium ſecum luctatus, ac ſibi difficile conſentiens, & nunc adjutor Bruti, deſignati Conſulis, collegae ſui, ſenatuique ſe litteris venditans, mox ejus proditor. Aſinius autem Pollio, firmus propoſito, & Julianis partibus fidus, Pompejanis adverſus; VTERQVE EXERCITVS TRADIDERE ANTONIO* [1]. Sive ergo Pollio conſilia ſua, proditionemque ſagacius, quam Plancus texerit, ſive neceſſitate adactus, aut fraude circumventus a propoſito deſciverit, illud fixum, ratumque maneat, *exercitum*, ſive legiones omnes illius imperio, ductuique a Senatu concreditas, ad Antonianas copias tranſmigraſſe. Quibus expoſitis, breviterque diſputatis, cauſſam non video, cur Legio xxx. poſſit ab Antonianis explodi.

Haec quum ſint, ecquid ergo vetare poterat, quominus hujus IIIviri pecunia omnibus hiſce numeralibus notis obſignaretur, aut quae falſitatis indicia in tricenaria poſſunt umquam ſublucere? Quare gratulor tibi, nummophylacio tuo praeclariſſimi denarii acceſſionem eſſe factam, cujus typum cum hiſtoria omnino, vereque convenire tot ſcriptorum teſtimoniis erudimur.

CONSECTARIA.

Interim ſi diſperſa haec Appiani, Galbae, Ciceronis, & Paterculi loca conferantur, plura liquido emergunt. Ac primo, IIIviris Remp. gerentibus inconſtans, & varium in caſtris Romanorum pro Impp. arbitratu, ſuſceptique belli opportunitate fuiſſe legionum numerum. Praeterea conſequitur, ſupra xxx. ab Antonio fuiſſe conſcriptas. Deinde illud etiam cognoſcere licet, Trajanum legionem *Triceſimam* neutiquam inſtituiſſe, Romanaeque militiae primum adjunxiſſe, ſed extinctam, abrogatamque, occaſione belli Dacici renovaſſe. Quarto perſpicuum fit, varia uni, eidemque legioni adhaeſiſſe nomina, pro ut rerum conditio

1 *Hiſtor. Roman. lib.* 2 *I. edit. Burman. Amſtelod.* 1719.

ferebat [1]. Conſtat poſtremo, monumenta legionum tranſtrigeſimarum, ut XXXVI. in Donii collectaneis [2], XXXX. inter domeſticas Fabretti inſcriptiones [3] &c. tamquam dubioſa, incertaeque fidei immerenter a nonnullis traduci. Sed ſatis jam, ſuperque nota illa tricenaria a quavis eſt vindicata ſuſpicione; nunc quod tribuitur otii, ad ea perſcribenda conferam, quae pertinent ad cetera nummi adjuncta illuſtranda.

SECTIO QVARTA.

Aquila inſigne Legionum in nummis Antonii. Cur is triremem in eiſdem conſtanter exculpi fecerit. Quae a Plutarcho de M. A. & Cleopatra perhibentur, minime poetica eſſe, ſed cum numiſmatum typis omnino convenire. Navem illam Praetoriam *eſſe, conſultoque velis, maliſque deſtitutam repraeſentari, ex Herodoto, Tacito, Polyaeno, Xenophonte, Livioque evincitur.*

NIhil revera utraque denarii pars exhibet contuendum, quod non in aliis M. Antonii nummis perfrequenter appareat; quotquot enim ille hac epigraphe, LEG. diſtinxit, plerumque duo militaria ſigna, & Aquilam praeſeferunt haſtae infixam, quam etiam Trojanos [4], & Perſas [5] pro ſigno habuiſſe fertur, quamque C. Marius in ſecundo Conſulatu, ſublatis, abolitiſque reliquis minotauri, apri, draconis, lupique vexillis, Romanis legionibus proprie dedicavit [6]. Vorſum vero navem Praetoriam excul-

1 Confer, quae habet Reimarus ad *loc. cit.* Dionis.

2 *Claſſe* VI.

3 *Inſcript. Dom. cap.* IX. Saepe animadvertimus in Antonini Itinerario poſt intervalli, & milliarium numerum notam hanc LEG. apponi, quam alius excipit numerus. Hieronymus Surita in ea fuit ſententia, *LEGionis* illius, quam numerus deſignat, manſiones, & ſtativa tribus his litteris indicari. (*Notae ad Itiner. Anton. Auguſt. Coloniae* 1600.) Verum Bergierius de viis militaribus (*lib.* III. *cap.* XXXVII. & XXXVIII. *edit. Lugdun. Batav.* 1699.) verbis ſat multis Suritam refutat, docetque, tribus illis elementis vocabulum Celticum *LEGas*, ſeu *leguas*, vel *leucas* compendiarie exprimi. Bergerio adſtipulatur Weſelingius *Animad. ad Iter. Antonin. pag.* 254. *Amſtelod.* 1735.

4 Stevvechius ad Vegetium *de R.M. lib.* II. *cap.* VI. *Antuerpiae* 1585.

5 Xenophon *de Exped. Cyri l.* VII. *Oxon.* 1703.

6 Plinius *lib.* X. *c.* IV. Confer Franc. Patritium *de Re Militari Roman. parte* IV. *ſect.* V. *Graevii Theſ. tom.* X. Si quid fabulis indulgendum, adde ex Iſi-

exculptam hi nummi habent, eamque remis, gubernaculo, acroterio, roſtro, vexillo, humilique cataſtromate inſtructam. At quanam mente dicemus Antonium in his nummis ſignandis, quibus ſuas legiones, cohortes, centurias, turmas oſtentabat, navis typo perpetuo eſſe uſum? Nam quid habet illa commune cum copiis terreſtribus? Quid Triremis cum equitatu, peditatuque? Incidi olim legendo, meditandoque in Plutarchi locum, qui IIIviri conſilium manifeſto prodit, cauſſamque hujus tam ab illo uſitati ſymboli, niſi me fallit animus, oſtendit, atque ſignificat. Is autem Cheronenſis Philoſophi locus ad hunc modum ſe habet: οὕτω δὲ ἄρα προσθήκη τῆς γυναικὸς ἦν, ὥστε τῷ πεζῷ πολὺ διαφέρων, ἐβούλετο τοῦ ναυτικοῦ τὸ κράτος εἶναι διὰ Κλεοπάτραν. καὶ ταῦτα, πληρωμάτων ἀπορίᾳ συναρπαζομένους ὁρῶν ὑπὸ τῶν τριηράρχων ἐκ τὸ πολλὰ διὰ πάσης Ἑλλάδος ὁδοιπόρους, ὀνηλάτας, θεριστὰς, ἐφήβους· καὶ οὐδ᾽ οὕτω πληρουμένας τὰς ναῦς, ἀλλὰ τὰς πλείστας ἀποδεεῖς, καὶ μοχθηρῶς πλεούσας. *Ita autem erat feminae* (Cleopatrae) *addictus* (Antonius), *ut quum valeret plurimum terreſtribus copiis, Cleopatrae gratia victoriam navalem concupjerit; quamquam viatores, agaſones, meſſores, adoleſcentulos per totam Graeciam a magiſtris captos ad naves implendas cernebat; nec ita quidem repletas, ſed pleraſque vacuas, & aegre navigantes* [1]. Porro hinc eveniſſe non dubito, ut quum peſſimus amaſius mulieri quavis in re ablandiri ſtuderet, claſſicos triumphos, maritimamque potentiam in nummis etiam, quos militibus diſtribuebat, perditiſſime affectaret. Sed quoniam libidinibus inflammatus, ac furens animus, inexplebili exagitatur cupiditate, perturbataque flagitiis exulat ratio; quo veſaniae devenerit Antonius Cleopatrae amore, teſtata centies, manifeſtaque res eſt. Nec quicquam tribuo auctoritatis maledico illi veterum ſcriptorum obtrectatori, ſeu verius Cynico cani, qui ut Plutarchum dente carperet rabido, ait poeſin potius de Antonio, quam hiſtoriam finxiſſe [2]. An quae ab illo ſumma animi levitate, vitaeque licentia facta perhibentur, unius nituntur Plutarchi teſtimonio? Aut inor-

Iſidoro in libro *Originum lib.* XVIII. *cap.* III. *Coloniae* 1617. hujus rei initium a Jove ipſo repetendum, cui bellum adverſus Titanas gerenti Aquila victoriae augurium portendit.

1 *In M. Anton. edit. Londinenſis Opp. Plutarch. tom.* V. 1724.

2 Bayle *Dictionaire art.* Cimon. *not. H. pag.* 937. *col.* I. *edit.* 1702.

inordinata temporum ſeries, quam Baylius hiſtorico culpae vertit, dictis abrogat fidem? Nos, ut inſtitutum noſtrum expoſcere videtur, quae ex nummis optimis, *incorruptiſque antiquiquitatis teſtibus* [1], perſpici poſſunt, obiter indicabimus? Quorſum, quaeſo, Antonius in Aſiaticis, Cretenſibus, aliiſque numiſmatis Cleopatrae caput ſuo jugiter copulari voluit? Quorſum illam Veneris habitu exſculpi, ſe vero hedera, corymbiſque coronari [2]. Quorſum ΘΕΑΝ ΝΕΩΤΕΡΑΝ feminam illam nuncupari? Quorſum ciſtam myſticam, ſerpenteſque appingi? An non haec omnia mirifice comprobant, quae a Plutarcho de Antonio traduntur? Scilicet, ſe *νέον Διονύσον*, Cleopatram vero *νέαν Ἶσιν* appellari juſſiſſe: & quum in Cilicia apparatu regio, ac prope divino ad congraecandum conveniſſent, utrique acclamatum fuiſſe: *ὡς Ἀφροδίτη κωμάζοι παρὰ τὸν Διονύσον ἐπ' ἀγαθῷ τῆς Ἀσίας*; *Venus ad Bacchum commeſſatum venit in ſalutem Aſiae* [3]. Quod ſi haec Antonius praeſtitit *amoris in Cleopatram incendio*, & *vitiorum, quae ſemper facultatibus, licentiaque, & aſſentationibus aluntur* [4]; nil mirum eſt, in gratiam Reginae Aegypti navali ſymbolo pecuniam obſignaſſe.

Alterum eſt monumentum, quo intelligimus, Antonium in navalibus expeditionibus, praeliis, victoriiſque Cleopatrae ingenio, & voluntati ſtudioſiſſime obſecundaſſe, noſtraque de navi Praetoria firmatur conjectura. Nummum argenteum ajo, cum lemmate M. ANT. IMP. III. = L. ATRATINVS PRAEF. CLAS. F. C. = ubi currus Equis marinis vectus conſpicitur, deſuper Antonio, & Cleopatra ſuperbe ſtantibus, cujus ſchema in prima hujus libri pagina inter Cidarim, Armeniae devictae ſignum, & Palmam cum Crocodilo, Aegypti occupati ſymbolum, diligenter caelari fecimus. Adeo autem hoc typo

1 Peireſchius apud Chifletium, *Anaſtaſis Childerici cap.* v. *Antuerp.* 1655.

2 Omnes propemodum hoſce nummos late, copioſeque explicatos iterum edidere Begerus *de Nummis Cretenſium Serpentiferis Coloniae Marchicae*. 1702. Panellius *de Ciſtophoris cap.* XII. *Lugduni* 1734.

3 Eodem pertinent Auguſti verba in Concione ad Milites apud Dionem *lib.* L. Quis non deploret Antonium τὸν δ' ἄνθρωπον ἐκεῖνον, καθάπερ τινὰ Ἶσιν ἢ Σελήνην προσκυνοῦντα, καὶ τοὺς τε παῖδας αὐτῆς Ἥλιον, καὶ Σελήνην ὀνομάζοντα, καὶ τὸ τελευταῖον, καὶ ἑαυτὸν Ὄσιριν καὶ Διόνυσον ἐπικεκληκότα, *mulierem iſtam pro Iſide, ac Luna adorare, natis illius Solis, ac Lunae nomina tribuere, denique ſeipſum Oſiridem, ac Bacchum appellare?*

4 Paterculus *l. c.*

typo gloriabatur, Antonius eoque mulierem ſibi magis, magiſque obligare putabat, ut non modo minoribus nummis feriendis uſus ſit, ſed etiam maximi moduli, & *Contorniatis*. Elegantiſſimum id genus numiſma ex Caeſareo, lectiſſimoque Vindobonenſi Muſeo extulit, vulgavitque primus anno ſuperiore Cl. Francius [1].

At ex me forte ſciſcitabere, Optime Roncalle, cur Triremem in Antonii nummo ſculptam, *Praetoriam* adeo confidenter appellem? Elatum quaeſo in prora vexillum, quod, teſte Leone Imp. in Tacticis, *Φοινικίδα* veteres dixerunt, tibi ob oculos propone: hoc unum enim imperatoriae navis inſigne non apud Romanos tantum, ſed etiam Graecos exſtitiſſe perhibet illud Polycritae Aeginetae apud Herodotum [2], qui Athenienſium claſſe conſpicata, navem principem ex vexillo deprehendit: *ἔγνω τὸ σημήιον ἰδὼν τῆς στρατηγίδος*, *Praetoriam ex ſigno intuens, cognovit*. Atque hunc morem apud ceteras quoque nationes obtinuiſſe, argumento eſt, quod Tacitus ſcribit, Romanos in Rheno contra Germanos paratiſſima claſſe certantes, impetum in triremem principem intendiſſe, quae ipſo vexillo facile prodebatur, putantes illic Petilium Cerialem latere, *Praetoriam navem VEXILLO INSIGNEM, illic ducem rati, abripiunt* [3]. Neque vero moleſtiam tibi ingerat, quod eam navem hic cernas malis, antennis, veliſque deſtitutam; nam potius indicio id eſt, ut bellicam, & *στρατηγίδα* exiſtimes. Fuerat haec conſtans apud veteres quaedam pugnandi ratio, ut antequam naves ad conflictum concurrerent, vela contraherentur, demitterenturque mali. Ideo Lacedaemoniorum imperator Annon, Dionyſii claſſem aggreſſurus, referente Polyaeno; *τῶν αὐτοῦ νεῶν καθαιρεῖ τὰ ἱστία*, *ſuis navibus vela detrahit* [4]. Eodem modo Iphicrates Athenienſium archithalaſſus ad naumachiam contra Cercyrenſium triremes ſe ſe comparans, ut ait Xenophon; *εὐθὺς μὲν γὰρ τὰ μεγάλα ἱστία αὐτοῦ κατέλιπαν, ὡς ἐπὶ ναυμαχίαν πλέων*, *confeſtim depoſitis majoribus velis, certamini navali ſe accingebat* [5]. Romanos, praeter vela,

1 *Muſeum Vindobon. P.* II. *Num. max. mod. Viennae* 1755. Inſcriptum huic contorniato M. ANT. IMP. TER. L. BIBVLVS M. F. P. R.

2 Vrania, ſeu *lib.* VIII. *Londini* 1697.

3 *Hiſtoriar. lib.* v. *cap.* XXII. *edit. Gronovii Lug. Bat.* 1721.

4 *Stratagemat. lib.* v. *edit. Maſvicii Lugdun. Batav.* 1690.

5 *Lib.* VI. *edit. Dodvvelli*.

Digitized by Google

la, malos abſtuliſſe, docet latinae hiſtoriae parens: *Polyxenidas ut appropinquare hoſtes allatum eſt, occaſione pugnandi laetus, aequa fronte ad pugnam procedebat, quod ut vidit Romanus* (Acilius Coſ.) *vela contrahit, maloſque inclinat, & ſimul armamenta componens, operitur inſequentes naves* [1]. Et quia praetoria omnium prima praelium conſerebat, Antonius hoc in nummo ſuae claſſis ναυαρχίδα, tamquam ad conflictum jam paratam exprimi voluit. Ceterum habes in aliis Antonii numiſmatis triremes etiam cum duplici velo, acatio, & epidromo; quod inibi vel tranvectio exercitus, vel in Armeniam profectio, vel Cleopatrae in Syriam iter, vel Navale Antonianum in Achaja, & Sicilia, vel claſſis, aut Africae Praefectura demonſtretur, non vero maritimum certamen, quod in praeſenti erat oculis exhibendum.

Denique ſi paullo attentius nummos illos contemplabere, qui ſupremis Antonii vitae, imperiique temporibus cuſi ſunt, variam in illis deprehendes navium πολεμικῶν formam, eaſque interdum non Romana ſane architectatione conſtructas, ſed quales Carthaginenſes, Corinthii, Rhodii, & qui Aegyptum incolunt, aliaeque exterae nationes habere conſueverant. Quod quum ipſe mecum reputarem, voleremque animo, Antonii morem hic etiam videre mihi viſus ſum, qui ut legionibus ſupplendis milites ex quavis gente adſcripſerat, ita claſſi augendae, barbarorum naves undecumque colligebat; quo alludunt Virgiliani verſus:

Hinc Auguſtns agens Italos in praelia Caeſar,
Cum Patribus, populoque, Penatibus, & magnis Diis,
Hinc ope barbarica, variiſque Antonius armis.

SE-

1 *Lib.* XXXVI. *cap.* XLIV. *edit.Oxon.*

Digitized by Google

SECTIO QVINTA.

Num Antonianae claſſis triremes, quales in nummo comparent. παρέκβασις de navium bellicarum ſtructura. Vetus ſyſtema de remigum ordinibus ἀνωτερόις, καὶ κατωτερόις cum antiquis monumentis, prae omnibus, cohaerens. Huic demonſtrando aereus Carauſii nummus anecdotus, & Pictura domus Augg. ex Cod. Vaticano in conſpectum producitur. Eidem omnino ſuffragari Lucani, Vegetii, Pauſaniae, Arriani, aliorumque veterum ſcriptorum locutiones. Silius Italicus perperam a nonnullis explicatus. Ingentes naves a Syriae, aut Macedoniae Regibus inſtructae, an ſyſtema illud excludant.

SED heic multo obſcurior, gravioribuſque implicata difficultatibus praetenditur quaeſtio ab ea remorum diſpoſitione, quae in praetoria Antonii triremi conſtanter oculis obverſatur. Enimvero, ut Dio ſcribit, τὰ μὲν σκάφη τῷ Ἀντωνίῳ πολὺ τῶν ἐναντίων ὑπερέχοντα ἦν, τριήρεις μὲν γὰρ ὀλίγας, πεντήρεις, ἑξήρεις τε, καὶ δεκήρεις, *naves Antonius fabricaverat hoſtilibus, multo majores, paucas quidem triremes, reliquas omnes quadriremes, quinqueremes, & deciremes* [1]. At ſi Praetorianae effigies hiſce in nummis expreſſa eſt, illam oportuit proculdubio latiori propede, eminentiori peritoneo, puppi, epotide, paraſemo grandioribus fuiſſe inſtructam, majori militum, remigumque numero abundare, verbo dicam, in tota claſſe paratiſſimam putari. Sed quid? quod haec valida triremis numquam repraeſentet aſſurgentes remigum ordines, qui in diverſis tabulatis poſiti τέ κάτω, καὶ ἄνω navim urgeant, verticeſque remis diſcindant, ſed ubique remiges eodem ſuper cataſtromate ſibi continenter ſuccedentes demonſtrat? Ergone in ſummo errore, maximaque rerum ignoratione verſatos, dicendum erit Scaligerum [2], Salmaſium [3], Pancirolum [4], Voſſium [5], Schefferum [6], Palmerium [7],

1 *Hiſtor. Rom. Lib. L.*

2 *In animadverſ. ad Chron. Euſebii pag. 61. Amſtelod. 1658*

3 *Obſerv. ad Jus Atticum. Lugdun. Batav. 1643.*

4 *Rer. Memorabil. Ambergae 1612.*

5 *De conſtruct. Liburnicarum. In Theſaur.* Graevii *Tom. XII.* Item in *Etymologico Amſtelod. 1695.*

6 Schefferus *de Militia Naval. l. II. cap. II. Vpſaliae 1654.*

7 *Exercitationes in auctores Graecos; ad fragment. Memnonis. Trajecti ad Rhenum 1694.*

Snellium [1], Moriſottum [2], Fabrettum [3], Lucheſinium [4], quibus ceteroquin antiquum illud *σύστημα* ordinum *κατωτάτων καὶ ἀνωτάτων* magnopere probatum fuiſſe cognoſcimus? Vetera, quaeſo, ne moveas, mi Roncalle. Quamcumque enim amplexabere ex diverſis, diſtractiſque ſententiis, quas ad commodius explicandam navium polyremium ſtructuram ingenioſe excogitarunt Baifius [5], Stewechius [6], Languedoc [7], Rivius [8], Sanadonius [9], Maugereus [10], Laurus [11], Witzius [12], Meibomius [13], Savillius [14], Deſlandius [15], in majores te conjicies ambages. Sive remigum verſus in longum dividas, ſive *θρανίτας*, *ζυγίτας*, *καὶ θαλαμίτας* in tranſverſum numeres, ſive cujuſvis navis nomen a numero remigum, qui ſingulis ſummorum jugorum remis applicabantur, mavis repetere, ſive tranſtra multiplices, decutes, intexas (huc enim recidunt omnia illa recentiorum ſyſtemata), ubique ſalebrae, ubique inextricabilis error. Me equidem, rebus animo diu agitatis, & cauſſa diligenter volutata, facilius in ſuas partes trahent prioris ſententiae defenſores: nam etſi ex M. Antonii nummis, aliiſque compluribus conjectare fas ſit, triremes actas fuiſſe remigibus a prora ad puppim aeque procurrentibus, alii nihilominus ſuppetunt, ut Q. Metelli, Hadriani, Gordiani III., quos acuratiſſime expenderunt Goltzius [16], Oiſelius [17], Fabrettus [18], Bonarrotius [19], itemque duo aurei Muſei Hannoverienſis Carauſii, & Alecti, quorum meminit Deſlandius

1 *Tiphys Batavus, ſive de hiſtiodromia. Lugd. Batav.* 1647.

2 *Orbis Maritimus lib. II. cap.* 49. *Divione* 1643.

3 *De Columna Trajani cap.* V. *Romae* 1690. *V. etiam* Cl. Nicolai Galeotti adnotationes *ad Muſeum Odeſcalchum tom.* II. *tab.* 25. *Rom.* 1752.

4 *Adnotat. hiſtoricae ad Demoſthenem. Orat. de Claſſibus pag.* 193. *Romae* 1712.

5 *De re navali liber. Baſil.* 1527.

6 *Ad Vegetium lib.* IV. *cap.* XXXVII.

7 *Diſſertation ſur les Triremes, ou Vaiſſeaux de guerre des Ancienſ. à Paris* 1721.

8 *Hiſtor. Naval. Antiqu. lib.* III. *cap.* 49. *Londini* 1633.

9 *Memoires de Trevoux. Septembre* 1722.

10 V. *Catrou*, *&* *Roville Iſtoria Romana tom.* VII. *Venezia* 1732.

11 *Antiquit. Roman. P.* III. *num.* V. *Romae* 1612.

12 *De Nav. remig. P.* I. *cap.* I.

13 *De fabrica Trirem.* Graev. *t.* XII.

14 Confer Scheffer *ubi ſup.*

15 *Eſſai ſur la marine des Anciens, & particulierement ſur leurs Vaiſſeaux de guerre. à Paris* 1748.

16 *In Faſtis pag.* 140.

17 *Theſaur. Num. tab.* LXXVIII.

18 Loco mox indicato, ubi ejuſmodi numiſmata recenſet.

19 *Oſſervazioni ſopra alcuni Medaglioni pag.* 288. *Roma* 1698.

dius [1]: quibus in nummis bellicarum navium remi a thalamo ad tranum ad diverſam altitudinem, quaſique per gradus protenſi viſuntur; ut vere quavis in triremi appareat, fuiſſe nautas imos, medios, ſummos, quorum alii longioribus, alii brevioribus peterent aequora remis. Nullum, ut fatear quod res eſt, ex hiſce nummis hactenus mihi licuit nanciſci, imo Carauſii aureos necdum videre: aereum tamen hujus Tyranni ante viginti annis nobis contemplandum exhibuit ὁ πάνυ philologus, quem in his ſtudiis auctorem, moderatoremque noſtri amantiſſimum habuimus, Apoſtolus Zenus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις. Typi rarirate, operiſque elegantia capti illius imaginem cera ſignatoria impreſſam adſervavimus, quam quum a caelatore aeri redditam hic intueberis, oculis ipſis uſurpare poteris, quemadmodum,

. . . . . *triplici CONSVRGVNT ordine remi*;

& quam vere auctor Tacticorum ſcripſerit: *ἡ μονήρης, καὶ διήρης, καὶ ἑφεξῆς κατὰ τοὺς στίχους τοὺς* ΚΑΤΑ ΤΟ ΥΨΟΣ ΕΠ' ΑΛΛΗΛΟΙΣ, *Soliremis, Biremis, & quae ſequuntur, ab Ordinibus SECVNDVM ALTITVDINEM, VNVS SVPER ALTERVM* [2] nuncupantur.



Eadem prorſus biremium, triremiumque deformatio ad oculos occurrit in aliis optimae vetuſtatis monumentis; ac ne quid dicam de Praetoria Trajani, in columna κοχλιώδει exſculpta, de

 mo-

1 Ubi ſupra. Confer praeterea Cl. Arbutnotium, *Diſſertation concerning the Navigat. Of the Ancients. London 1727.*

2 *Leonis Sapientis Tactica, ſive de Re Militari num.* XIX. *Lugdun. Batav. 1612. V. Annotazioni di Filippo Pigafetta al Trattato di Leone Imp. Venezia 1586.*

qua dubitatio poſſet ſuboriri [1], quid praeſtantius, aut accommodatius veteri illa pictura triremis exquiſitiſſimi operis, inter rudera montis Palatini anno CIↃIↃCCXXIV. detecta, cujus graphidem deinde evulgavit Turnbullius [2], in qua ſcientiſſimus pictor ternos remorum ordines perſpicue, diſtincte, adamuſſim, alterum altero ſuperiorem, ut re ipſa diſpoſitos in aliqua Trieri proculdubio obſervarat, pennicillo expreſſit? Illius exemplar ad fidem autographi inter ceteros delinearat Eq. Petrus Leo Ghezzius, ex cujus pictoriis ſchedis, ab ipſo paucis ante mortem annis in Vaticanam Bibliothecam inlatis, diagramma proponam picturae fortaſſe ſimilius [3]. In quo rerum genere quamvis ſciam nihil eſſe difficilius, quam vel aetatem definire, vel auctorem tuto cognoſcere; verumtamen ſi ad locum ſpectemus, ubi pictura reperta eſt, utrumque fortaſſe colligere licebit. Quum itaque a claſſicis, oculatiſque teſtibus acceperim, conclave, ſive ſtibadium, ſive atrium, cujus tholo imagines fuerant ſuperinductae, fuiſſe in orientali Palatii parte, quam Auguſtus ſumma

1 Quas Raphael Sanctius, *Julius Pipi*, Sanctes Bartolus, aliique egregii pictores delinearunt hujus Columnae imagines, tres remorum ordines in Trajani Praetoria referunt. Duos tantummodo exhibuit Andreas Morellus, qui univerſa illius emblemata deſcripſit, aerique incidit ex gypſeis formis, quas LVDOVICVS MAGNVS circa an. CIↃIↃCLXX. permiſſu P. M. exprimi fecerat, quum eamdem Columnam ex aere conflatam Pariſiis ſpectatiſſimo in loco erigere meditaretur. V. *Praef. ad Colum. Trajan. Morel.* & *ſegm.* 230. *Amſtelodami* 1752. In quo Helveticum hunc ſcriptorem minus accurate feciſſe perſuaſum habeo. Sed dubitatio de eo potius ſuboritur, an remiges alii aliis eſſent ſuperiores; exigua enim adeo eſt inter remorum ordines diſtantia, ut nautae in una, eademque contabulatione ſtantes poſſent ſupremos juxta, ac infimos tractare remos. Eam certe fuiſſe ſtructuram *biremis*, qua Imperator Palaeologus, & Patriarca Cpolitanus ſubvecti Italiam appulerunt Concilii Florentini cauſſa, perſpici poterit ex illius ſchemate in aeneis valvis Baſilicae Vaticanae, quas Eugenius PP. IV. fabrefieri, caelarique fecit, Polaiolo artifice Florentino adminiculante. Ejuſdem biremis iconem exhibuit Horatius Juſtinianus in *Act. Concil. Florent. P.* I. *pag.* 70. *Romae* 1638.

2 *Treatiſe Of Ancient Painting. Tab.* XXV. *London* 1740. Accepimus dudum inter memorabilia Herculanenſium, atque picturas, auro contra aeſtimandas, quae e terrae gremio ad radices Veſevi in dies eruuntur, tabulam fuiſſe repertam, referentem ſimiliter triremem ordinibus remigum per aſſurgentes gradus inſtructam. Vtinam & rei litterariae bono, & controverſiae magis, magiſque dilucidandae, haec admiranda vetuſtatis monumenta in vulgus prodeant aliquando..

3 Adſervantur ſchedae Ghezii in pluteis, qui ſunt in conclavi Calligraphorum ejuſdem Bibliothecae.

ma magnificentia aedificarat (quae enim ad occidentem reſpiciunt a ſucceſſoribus Tiberio, Nerone, Caligula, Domitiano additae ſunt) ad illius aevum cenſeo, picturam poſſe congruenter revocari. Inclaruit autem, referente Plinio [1], per id tempus ingenii laude, operumque nobilitate Marcus Lidius Elotas, qui *Auguſti aetate primus inſtituit amoeniſſimam parietum picturam, villas, & porticus, ac topiaria opera, lucos, nemora, colles, piſcinas, euripos, amnes, LITTORA ..... varias ibi obambulantium ſpecies, aut NAVIGANTIVM, terraque villas adeuntium ..... Idem ſubdialibus maritimas urbes pingere inſtituit, blandiſſimo aſpectu.* Quid igitur prohibet, quominus noſtram picturam Lidii opus credamus? Habes illam.



Quandoquidem vero Turnbullianae collectionis nonniſi titulum, & aliquot ſolitaria ſchemata hactenus videre licuit, quid ille de hujuſce tabulae affiguratione ſenſerit, ignoramus, ſed quae nobis animo ſententia ſurgat, ſummatim proferemus. Hic itaque partem Virgilianae hiſtoriae, qua tantopere delectaba-

1 *H. N. lib. XXXV. cap. X.*

Digitized by Google

ctabatur Auguſtus, repraeſentari non inani conjectatione auguramur. Stat in littore Carthaginenſi infelix Dido, gravi jam dudum ſaucia cura, ibique Aeneam, quem egentem, & hoſpitem exceperat, regnique in parte locarat, lacrymis, precibuſque flectere conatur, ne ſuas deſerat terras, eumque ex Jovis juſſu diſceſſum meditantem, morari ſatagit. At pius Aeneas, quamvis multa gemens, & magno labefactus amore, juſſa Divum exequi, & Italiam petere parat. Idcirco jam ad ripam appulit triremis, jamque ut in eam conſcendat, aptata eſt ad ageam ſcala; cujus aſcenſum Dido praeoccupaſſe videtur, quominus Aeneae pateat ad profectionem. Vt regius plane eſt Didonis veſtitus, ita heroicus Aeneae, alteriuſque Trojugenae militis, & qualis Teucris attribui ſolet. Condonandum tamen heic eſt Virgilio, aeque ac Lidio, quod per inſignem *ἀναχρονισμὸν*, tempore belli Trojani *triremes* exſtitiſſe putarint, quae nonniſi ccc. annis poſt Ilii fatum Corinthi, Aminocle naupego, fabricatae ſunt. Sed quemadmodum in carminibus poëtae licuit, naves bellicas fingere, quales aevo ſuo fabrefieri cernebat, ita pictori, quum perornandis concamerationibus domus Auguſtae Virgilianas fabulas udo tectorio induceret, earumdem navium exemplum ab uſitatis, & communibus ſumere. Rectius quidem feciſſet artifex, ſi Didonem non alloquentem Aeneam juxta triremem, ſed abeuntem Trojanorum claſſem ex proxima arce ſpectantem pinxiſſet, verum pictoribus haec audendi, variandique eſt conceſſa poteſtas. Ceterum ſi aliam potius ex his fabularibus narrationibus, quibus abundant Graecorum libri credideris hac tabula proponi, neutiquam tibi adverſabor: neque enim id agitur hoc tempore; ſed ideo in uno Virgilio ſubſtiti, quod aliae picturae, in monte Palatino eruderatae, Aeneae geſta non obſcure indicarent. Nihil etiam de hujus triremis acroſtolio, apluſtri, tutela, & ſigno, aut de *Vmbella* medio in navis encopo infixa diſputabo; ſed quod rei caput eſt, quodque in tota hac oratione propoſitum fuerat unice, exequi, & urgere praeſtat. Itaque nihil in hoc navigio ad praeſens ſpectari volo, niſi remorum diſpoſitionem; qua quid poteſt eſſe gravius, aut teſtatius ad veterum ſcriptorum ſententiam defendendam? Contra vero nullus eſt numiſmatum typus, nullumque

Digitized by Google

que antiqui artificii marmor, quod in ſuae hypothſeos probationem ceteri acutiſſimi ſcriptores poſſint afferre. Quapropter licet haec de triremium forma, remigumque poſitione toties tentata quaeſtio, inſuperabili aditu impervia videatur; illud pro certo conſtitui poterit, primis illis, quos enumeravimus, ſcriptoribus antiquitatem ipſam utcumque favere; in ceteris nihil laudandum, praeter ingenium, & in re ſummis obſtructa difficultatibus conatus, & acumen.

Etiamne parum auctoritatis habere videntur dicendi formulae, quibus antiqui ſcriptores perpetuo uſi ſunt, quum de navigiis bellicis verba facerent? Lucanus quadriremem ita definit [1].

Cornua Romanae claſſis, validaeque triremes,
Quaſque quater SVRGENS EXTRVCTI *remigis ordo*
Commovet, & plures quae mergunt aequora pinus.

Lucano ſuccenturiandus Vegetius, a quo aptiſſima locutione illud eſt dictum: praeliares naves *interdum quinos ſortiuntur remigum GRADVS; nec hoc cuiquam enorme videatur, quum in Actiaco praelio longe majora referantur concurriſſe navigia, ut ſenorum etiam, vel ultra ordinum fuerint* [2]. Inſignis quoque eſt ad eam ſententiam Pauſaniae locus, ubi navigium Deliacum magnitudine inſigne commemorat: **ΚΑΘΗΚΟΝ** *εἰς ἐννέα ἐρέτας ἀπὸ τοῦ καταστρώματος*, *DESCENDENS in novem ordines* (remigum) *a tabulatu* [3]. Dic ſodes, V. Cl., an haec verba, *conſurgo, ſurgo, extruo, gradus, deſcendo* poſſint umquam ab optimo latini ſermonis interprete ad remigum ordines in eadem aequabili ſuperficie diſpoſitos convenienter accommodari? Sequitur adnotanda remorum diverſitas, quam duo a me producta monumenta manifeſto praeſeferunt: qua in re monetarium, pictoremque nihil inconſiderate, nihil inſcite, nihil pro ſuo arbitratu egiſſe, ſed plane ad veritatem omnia repraeſentaſſe, Arrianus, Thucydideſque ſponſores accedent. Ille equidem de biremibus, quibus Alexander Hydaſpem, & Accſinem navigabat, ait: *αὐτῶν* ΤΑΣ ΚΑΤΩ ΚΩΠΑΣ

1 *Lib.* III. *de Bello Civil. Lugdun. Batav.* 1669.
2 *De R. M. lib.* IV. *cap.* XXXVII.
3 *Lib.* I. *Attica edit. Kunii, Lipſiae* 1696.

ΠΑΣ ὐκ ἐπὶ πολὺ ἔξω ἔχυσας τῦ ὕδατος, *ipſarum REMI INFERIORES parum admodum erant ſupra undam diſpoſiti*[1]. Memorabile etiam, quod Thucydides accidiſſe narrat in claſſe Athenienſium, quum in Epidaurum, & Potidaeam contenderet: πρὸς τῷ ἐκ δημοσίυ μισθῷ διδότων τοῖς θρανίταις τῶ ναυτῶ, *praeter publicam nautarum mercedem, alia thranitis contradebatur*[2]. Sed cur Trierarchi liberalius cum hoc uno nautarum genere agendum cenſuerunt? Vnicam, veramque cauſſam ex veteri Scholiaſte habeto: οἱ δὲ δρανῖται μετὰ ΜΑΚΡΟΤΕΡΩΝ ΚΩΠΩΝ ἐρέττοντες πλείονα κόπον ἔχοισι τῶν ἄλλων. *Tranitae autem LONGIORES REMOS trahentes, magis quam alii delaſſantur*. Praeter haec neſcio an aliquid queat afferri evidentius ad varias hypoteſes illas rejiciendas, noſtramque ſententiam confirmandam: non enim poſſunt eſſe remi alii inferiores, & aquae proximiores, alii ponderoſiores, longioreſque, niſi nautas ad diverſam diſtantiam a maris ſuperficie gradatim in triremi conſtituas.

Denique remiges in diverſis contabulationibus fuiſſe poſitos, dum aequo impulſu, paribuſque lacertis navem verſarent remis, ſatis magno argumento ſunt duo Romanae hiſtoriae monimenta. Quum enim M. Agrippa ad promontorium Peloritanum ſua triremi Papiae navim ſumma vi petiiſſet, teſte Appiano[3] illam perfregit κατὰ τὴν ἐπωτίδα *circa carinam*, ita ut mare in navim admiſſum infimum remigum ordinem praefocarit, quorum miſero, ſubitoque naufragio zygitae, thranitaeque perterriti, fracto ſtegate, enatarunt, mortique ſe ſe eripuerunt. Sane niſi alii aliis a carina fuiſſent remotiores, omnibus idem impendiſſet periculum, nec ſuperiores nautae, infimis pereuntibus, perfugium illud habuiſſent. Huc etiam ſpectat illa Sillii Italici de II. bello Punico narratio. Iniecto a Carthaginenſibus in Cumanam Romanorum navim igne, ſic puppim univerſam exarſiſſe, celerique incendio ſuperiorem partem continuo ſic conflagraſſe, tradit poëta, ut ſummi nautae remos abiicere, & effugium quaerere cogerentur. At mirum! dum agilis flamma quaquaverſum percurreret, infortunii adhuc neſcii erant remiges infimi ordinis[4].

Intrat

1 *De Exped. Alex. lib. IV. edit. Blancardi Amſtelod. 1668.*

2 *Hiſtor. Bel. Peloponn. lib. VI. edit. Ducheri Amſtelodami 1731.*

3 *Bel. Civil. lib. V.*

4 *De II. Bel. Punic. lib. XIV. v. 424. edit. Daſquii Paris. 1618.*

Intrat diffuſos peſtis vulcania paſſim
Atque implet diſperſa foros, trepidatur omiſſo
SVMMIS remigio; ſed enim tam rebus in arctis,
Fama mali nondum tanti penetrarat ad IMOS.

Porro ſi in longum, aut in latum utcumque diſpoſiti fuiſſent nautae, qui fieri poterat, ut ignis, qui nedum in puppi, (ubi *ſummi remiges*) ardebat, ſed per foros ſupremi pavimenti vagabatur, non eſſet zygitis, thalamitiſque conſpicuus? Ergo contabulationes minime ſub dio erant, invicemque patulae, ſed cataſtromate ſic dividebantur, ut rumor rerum, quae ſuperius agebantur, non tam cito inferius pervaderet. Frivolum autem dictu eſt, quod Catrovius, & Roullieus [1] excogitarunt ad Silii auctoritatem elevandam, nimirum poëtam ἐμφατικῶς eſſe loquutum, nihilque aliud animo intendiſſe, niſi ut rerum omnium perturbationem ſignificaret, quam incendium momento temporis adduxerat. Sed aliter omnino ab his auctoribus eſſe aeſtimandum, nec Silium aeſtro abreptum a ceteris ſcriptoribus in conſtituenda ordinum,& remigum varietate diſcrepare,facile intelliges, ſi quae hactenus memoravimus, cum illius deſcriptione vel leviter componas. Verum quis illud ſibi obtrudi patiatur, in ingentibus illis navibus polyremiis, quas a Ptolemaeo Evergete, Demetrio Poliorcete, Philippo Macedonico, Hierone Syracuſano, Ptolemaeo Philadelpho, & Philopatore duodecim, quindecim, ſexdecim, viginti, triginta, imo & quadraginta ordinibus inſtructas legimus, unuquemque remigum ordinem alterum alteri fuiſſe ſuperpoſitum? *Vtinam tam facile vera invenire poſſem, quam falſa convincere* [2]! Attamen ad veterem illam ſententiam excludendam non ſatis aptum, firmumque argumentum repeti videtur ex inutilibus, magniſque illis molibus, quas Regum vel in mari laſcivientium otioſa pecunia ad oſtentationem paraverat; quandoquidem illas vel inhabilis magnitudinis [3], & ad omnia praepeditas [4], vel ad vanitatem magis, quam ad uſum [5], vel

E non

1 Vbi ſupra.
2 Cicero *de Nat. Deor. I.*
3 Livius *lib.* xxxIII. *cap.* xvI.
4 Florus *l.* Iv. *c.* xI. *Trajecti* 1680.
5 Plutarchus *in Demetrio.*

Digitized by Google

non ſuis remis actas, ſed remulco deductas comperimus [1]. Quod ad reliquas minoris magnitudinis ſpectat, ego equidem in ea ſum, ſemperque perſtabo opinione, naves aliquot bellicas fuiſſe, quales in allatis monumentis obſervavimus, qualeſque poſterioribus ſaeculis renovatas [2] non injuria augurari me poſſe arbitror. Et quamvis

1 Athenaeus *Deipnoſoph. l.* v. *edit. Caſauboni Lugduni* 1657. Viderat id jam immortalis noſter Zenus in epiſtola ad Rinaldum Comitem Carlium, (*Lettere di Apoſtolo Zeno tom.* III. *let.* 179. *Venezia* 1752.) in hac controverſia aeſtimanda nullam eſſe habendam rationem ingentium illarum navium, quippe quae non ad uſum, ſed ad ſpectaculum comparabantur. In qua tamen epiſtola unum eſt, quod plurimum miramur. Clariſs. Carlius in Patavino Gymnaſio Nautiacae tunc Anteceſſor, editurus nitidiſſimum opus *della ſpedizione degli Argonauti in Colco*, quod deinde quatuor libris complexus eſt, ediditque Venetiis 1745. Zeni ſententiam de triremium ſtructura exquiſierat: nullus enim ferme fuit hujus aetatis philologus, qui a viro ſupra fidem eruditiſſimo, tamquam ab oraculo, reſponſa non quaereret. Quid igitur Zenus ad Carlii poſtulata? *La quiſtione da lei propoſtami intorno alla figura della Trireme Pretoria, cioè ſe ella foſſe diſpoſta, e figurata con uno, o più piani, e ſe con uno, o più ordini di remi, non è facile a ſcioglierſi, e determinarſi .... Quanto alle medaglie, tutte quelle, che mi è occorſo di vedere, e di avere, che non ſon poche, rappreſentano coſtantemente la Trireme Pretoria con un ſol piano, e un ſol rango di remiganti, e di remi.* Quo fortaſſe teſtimonio fretus amiciſſimus Carlius in diatribe epiſtolari de figura triremium, quam nobis inſcripſit humaniſſime, typiſque excuſam dedit in *Ephemerid. litterat. Mediolanenſ. ann.* 1756. *n.* III. affirmavit, nihil huic quaeſtioni definiendae ex veteribus monumentis certo repeti poſſe. Miramur ſane, ea Zeno excidiſſe, qui Carauſii nummum ante paucos annos oſtenderat, & ſic firma, ac tenaci fuerat memoria, ut quae ſemel viderat, aut legerat, omnia in numerato haberet. Sed plura condonanda illuſtri huic viro, qui dum ſcriberet, non minus aetatis flexu, quam proſtrata valetudine premebatur, quique aperte faſſus eſt, epiſtolam ſe conſcripſiſſe nullo adhibito ſtudio, ſed tumultuarie, nihilque aliud mandaſſe chartae, niſi quod, calamo properante, menti ſuccurrerat. Ex quibus intelligere licet, quam male Clarorum virorum nomini, & ſplendori conſulant, qui illorum epiſtolas, plenas feſtinationis, & pulveris, vix ab obitu, ad unam omnes ſine ullo delectu evulgant; quas, ſi palam prodire fas fuiſſet, earumdem auctores ſecundis, & tertiis etiam curis retractaſſent.

2 Diverſa proculdubio a triremibus per haec tempora uſitatis videntur fuiſſe navigia bellica, ſive ea, quae Emmanuel Comnenus belli ſacri gratia in Syriam dimiſit, a Guillelmo Tyrio his verbis deſcripta: *erant in praefato exercitu naves longae, roſtratae, geminis remorum inſtructae ordinibus, quae vulgo galeae dicuntur.* (*lib.* XX. *cap.* XIV. *Baſileae* 1549. *curante Poſſenotto*) ſive ea, quae Rogerius Rex in Apuliam littoralem contra Graecos adduxit, de quibus Otho Friſingenſis ita loquitur: *aptatis triremibus, & biremibus, quas modo galeas dicere ſolent &c.* (*de Geſt. Federic. cap.* XXXIII. *ſcript. R. Ital. Mediolan.* 1725.) Quid eſt, quod haec navigia pluribus praedita or-

vis de remorum tractandorum ratione, deque nautica in polyremibus opera, quae hominum ingenia tamdiu torſit nihil omnino dilucide, & perſuaſibiliter me poſſe depromere fatear; nihilominus quum ſcriptores antiqui pene omnes videantur diverſitatem navium bellicarum, triremium, quadriremium, quinqueremium &c. ab ordinum, verſuumque in altum aſſurgentium numero, ac multitudine repetere, Montfauconii illud uſurpare ſoleo: *licet non intelligam, credere tamen malim, quam tot antiquis*

E 2 *ſcripto-*

ordinibus dicantur, & alia fuiſſe *biremes*, alia *triremes* tradatur, niſi quia reapſe ab his, quae uno tantum ordine inſtruebantur, forma, ſtructura, magnitudine, remorumque collocatione differebant? Nam erat illis temporibus aliud *galeae* genus, quod cum hodierno poteſt comparari; enim vero de Roberto Guiſchardo illud perhibet Anna Comnena: αὐτὸς δὲ ἐπὶ μονήρη γαλέαν ἐπελθὼν τὴν Κεφαληνίαν, *ipſe vero galea vectus unireme Cephaleniam tenuit*. (*Alexiados l.* VI. *Scrip. Byzant. Venetiis* 1729.) Igitur priores illae naves, ordinum numero monere majores, cum vetuſtiſſimis triremibus aliquam videntur habuiſſe ſimilitudinem. Sed longe probabilius rei nauticae antiquae feliciter renovatae monumentum ſuppetit in hiſtoria Venetorum. Quemadmodum res ſe habuerit a principio commemorandum. Victor Fauſtus obſcuro quidem genere homo, ſed ingenio peracri, & ſubtili circa ann. cIↃIↃXXXVII. *Quinqueremem* Venetiis ſabricavit, quae maximam in tota urbe admirationem movit, & illuſtrium, doctorumque virorum praeconia artifici conciliavit. Fuit autem novum illud, & inſigne Fauſti inventum diuturni in mathematicis diſciplinis ſtudii fructus, atque etiam aſſiduae lectionis operum Thucydidis, cujus conciones in latinum verterat. (*Iſtoria degli Scrittori Veneziani del P. Giovanni degli Agoſtini tom.* II. *pag.* 455. *& ſeq. Venezia* 1754.) Nulla equidem hujus quinqueremis ſuperſtes eſt imago; quare de illius forma nonniſi conjectando quicquam proferre poſſumus. Nihilominus quum ea perlego, quae de illa ſcriptores coaevi litteris tradidere, veroſimilius mihi videtur, habuiſſe remigum ordines alios aliis ſuperpoſitos, atque parallellos. Natalis Comes (*hiſtor. Venet. lib.* XXI.) ait, Fauſtum mathematice navigium excogitaſſe ad imitationem antiquorum; quod ipſe Victor ſuſius tradit ad Joh. Bapt. Ramnuſium. (*Epiſtolae Cl. Viror. pag.* 73.) Ideoque quum de illius uſu exortae eſſent controverſiae, ſuae quinqueremis utilitatem ille defendit praeclaris hiſtoriis in medium allatis, ut in vita Cardinalis Navageri perhibetur. *pag.* 79. Igitur nonniſi in pervetuſtis monumentis hujus navis exemplar quaerendum. Quid autem haec, niſi ordines ſuperiores, & inferiores, ut tota hac ſectione demonſtratum eſt, probabilius praeſeferunt? Praeterea Lucilius Magius Brixianus (*Epiſt. familiar. lib.* I.) addit, Fauſtum quinqueremis fabricandae exemplum ex Thucydide deprompſiſſe, & Pancratius Juſtinianus (*Epiſt. Ann.* III.) illam comparat his, quae in Carthaginenſium, Romanorumque claſſe fuerant. Atqui in navibus Thucydidaeis ordines remigum ſcalares fuiſſe, ex Scholiaſte adnotavimus, eiſdemque perſimiles extitiſſe Punicas, indeque Romanas, ex Polybio, Livioque argumentando facile eruitur. Fauſtus ergo ordinum varietatem antiquis uſitatam videtur revocaſſe.

Digitized by Google

ſcriptoribus fidem denegare [1]. Atque haec in gratiam Praetoriae Antonianae dicta ſunto; jam ad reliquas noſtri denarii proprietates explicandas revocetur oratio.

SECTIO SEXTA.

Quare Herculea emblemata in nummis M. Antonii Conſularibus tam frequenter occurrant. Dignitates, quas Antonius in Republica eſt conſequutus. De illius Auguratu, quem ſic ambitioſe retinuit. Characteres illi AVG. noſtro denario inſcripti, perverſe a Larreio explicati. Suppoſititius nummus de Antonii Auguratu ab Oiſelio productus. Cetera auguris ſymbola in Antonianis nummis indicantur. Alia Sacerdotia M. A. obtinuiſſe, oſtenditur, ſed Dianae Epheſiae Flaminem fuiſſe, negatur. De uſu, & valore hujus noſtri nummi inquiritur. Pro diurno militum legionariorum ſtipendio fuiſſe cuſum, & decem aſſibus permutatum, evincitur.

QUAM latinorum diſertiſſimus Tullius Antonio interdum exprobrabat immoderatam honorum cupiditatem, & intolerandam ſui oſtentationem, cum multis ille patefecerat, tum hoc in primis, quod ſe ex Antone progenitum venditaret, ac non modo ex magna, & vetere proſapia, ſed Herculis ſtatu ortum depraedicaret. Atque ex hoc procaci faſtu, ex hac ſuperba animi elatione profectum eſt, ut Herculea inſignia ſuis nummis inſculpi, affectaret cupidiſſime. In iis enim frequentiſſime occurrunt, ſe ſeque oſtendunt vel ipſius Herculis caput, vel leonina pellis cum clava,

Prima Cleonaei tolerata erumna Leonis.

vel arcus, & pharetra, quibus aves ſtymphalides, aliaque monſtra fortiſſimus Deorum edomuit, ſauciavit, interemit. Quamquam neſcio, an hanc fabuloſam ſui originem oſtentare vellet Antonius, quum poſt bellum Pharſalicum primus omnium, ut Plinius refert [1], leones jugo ſubdidit, eoſque ad currum, rhedamve adjunxit; an potius feri, & immitis animi arrogantiam percuperet oſtentare. Nummo L. Antonii, Marci Fratris hic trium-

1 *Antiqu. Expli. tom. IV. part. II. lib. 2. des Navires à Paris 1722.*

1 *H. N. lib.* VIII. *cap.* XVI.

triumphus eſt exſculptus, quo emblemate uſi ſumus priori hujus operis litterae perornandae. Quid plura? ab Hercule ſe genus duxiſſe Antoniis adeo perſuaſum fuerat, ut leonem quaſi pro familiae inſigni habuerint, quod deinde Lugdunenſes, huic genti plurimum devoti, ad illius benevolentiam artificio, & aſſentatione captandam, cum Vrbis nomine Antonianis denariis imprimi voluerunt [1]. Haec utique ſpectabat Cicero, quum Attico ſuo ſcriberet: *tu Antonii leones pertimeſcas* [2]. Sed quae ſumma, & ampliſſima in Republica erant fortuna magis, & audacia, quam nobilitate duce, & virtute comite eſt ille conſequutus; inque celſiſſimam dignitatis, & honoris ſedem non tam laboribus, & periculis, quam fraudibus, & improbitate aſcendit. Quis autem fuit altiſſimus equeſtris ſplendoris gradus, qui Antonio tandem non patuerit? Semel, & iterum Imperium fuit illi collatum, Praetura urbana, ac peregrina tributa, tres Conſulatus conceſſi [3], triumphi gloria tertium decreta. Quae quidem illuſtria honoris indicia non modo nummorum epigraphe ſignificari voluit Antonius, ſed & figuris, variiſque in illis inciſis emblematis, coronis nimirum, tropaeis, clypeis, quadrigis, devictarumque provinciarum ſymbolis. Verum eſt illud animadverſione digniſſimum, mi RONCALLE, quod etſi Tribuni plebis, Magiſtri equitum, Imperatoris, Conſulis, Gymnaſiarchae, Agonothetae, IIIvirique titulo gloriaretur, adhuc tanti fecerit adeptum olim *AVGVRATVS* ſacerdotium, ut in pleriſque

1 De Rubys *Hiſtoire veritable de la ville de Lion liv.* I. *cap.* XXX. *à Lion* 1604. Paullo fuſius haec tradit Meneſtrierius, *Eloge hiſtorique de la ville de Lion part.* I. *ſ.* IV. 1669. *Ce Lion eſtoit l'ancienne deviſe de la Colonie, que Plancus avoit amendè, & qu'elle avoit eſtè le ſujet du nom de cette ville.*

2 *Epiſt. ad Attic. lib.* X. *ep.* 13.

3 *Primum Conſulatum geſſit una cum Julio Caeſare an. V. C.* DCCIX. *in cujus interfecti locum ipſe ſibi Publium Dolabellam collegam ſuffecit. Conſul iterum factus an.* DCCXIX., *ubi tamen ſe ſponte hoc magiſtratu abdicavit. Conſul tertium deſignatus eſt an.* DCCXXII. *Quia tamen paullo poſt hoſtis Reipb. declaratus, hunc Conſulatum non iniit.* Hanthaler *Exercitationes de Num. Vet. Dial.* X. *num.* XIV. *Norimbergae* 1735. De III. Marci Antonii conſulatu extat in Theſauro Britannico Graecus nummus puris, putis litteris utrinque diſtinctus. Hinc legitur, ΑΝΤΩ. ΥΠΑ. Γ. *Antonius Conſ.* III., illinc ΒΑCΙΑ. ΘΕΑ ΝΕΑ. *Regina* (Cleopatra) *nova Dea*. Quem tamen Magiſtratum nonniſi in AEgypto obtinuit. Dum enim ille hoc titulo gloriaretur, Conſulatum Romae agebant Auguſtus tertium, & M. Valerius Meſſala. *Del Teſoro Britannico P.* I. *volum.* II. *pag.* 171. *Londra* 1720.

que a ſe, vel ab urbibus, populiſque in ſui honorem procuſis nummis AVGVR dici juſſerit, quemadmodum in hoc tuo factum conſpicimus, ubi, ceteris praetermiſſis majorum Magiſtratuum nominibus, legitur: ANT. AVG.

Nihil huic rei explicandae afferri poterit illuſtrius, aut gravius illis Tullii verbis in II. de legibus: *Maximum autem, & praeſtantiſſimum in Republica jus Augurum, quum eſt auctoritati conjunctum. Neque vero hoc, quia ſum ipſe Augur ita ſentio, ſed quia ſic exiſtimare nos eſt neceſſe. Quid enim majus, ſi de jure quaerimus, quam poſſe a ſummis imperiis, & ſummis poteſtatibus comitiatus tollere? concilia, vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? quid gravius, quam rem ſuſceptam dirimi, ſi unus Augur alio die dixerit? quid magnificentius, quam poſſe decernere, ut ſe magiſtratu abdicent Conſules? quid religioſius, quam cum populo, cum plebe agendi jus aut dare, aut non dare? quid? legem, ſi non jure rogata eſt, tollere? ut Titiam decreto Collegii, ut Livias, conſilio Philippi, Conſulis, & Auguris: nihil domi, nihil foris per Magiſtratum geſtum, ſine eorum auctoritate poſſe cuipiam probari* [1]? Adde huc, quod auguratus viventi numquam adimeretur [2]. Quae omnia quum Antonius optime noſſet hujus ampliſſimi Sacerdotii dignitatem, auctoritatemque in omni fortunae gradu ſollicite retinuit: eo magis, quod ad callidiſſima ſua conſilia explenda, teſte Cicerone [3], interdum auguratu feliciter uſus fuerit. Longiſſime autem abeſt a vero, ea Larreii interpretatio, qui *ſiglas* illas in nummis M. Antonii perfrequentes, IMP. AVG. ita ineptiſſime reddidit, *Empereur Auguſte* [4]. Nam quamvis anceps fortaſſe ſit vocis AVGVSTI originatio [5], nulli tamen, niſi poſt Octavianum, tributa eſt honorificentiſſima haec appellatio, ut Dio ait, ad τὴν τοῦ ἀξιώματος λαμπρότητα *dignitatis ſplendorem*, ſignificandum: qui primi honoris titulus deinde in toto orbe Romano ſummi faſtigii, ſummaeque poteſtatis inſigne evaſit

1 *Cap.* XII. Confer Conyers Middleton *vita di Cicerone lib.* XII. *note tom.* IV. *Napol.* 1745.

2 Plinius II. *epiſtolar. l.* IV. *ep.* VIII.

3 *Hic bonus Augur eo ſe ſacerdotio praeditum eſſe dixit, ut Comitia auſpiciis vel vitiare poſſet.* Cicero *Philip. II. cap.* XXXII.

4 Larrey *Hiſtoire des deus Triumvirat tom.* III. *cap.* XXX. *à Amſterdam* 1720.

5 V. Joh. Matthiae Geſneri *Theſaurum ling. & eruditionis Rom.* ad eam vocem. *Lipſiae* 1749.

ſit [1]. Augur itaque, non vero Auguſtus dici voluit Antonius, quod teſtatius patet in ſubjecto numiſmate, anno, quo iterum Conſul deſignatus eſt, procuſo, ubi ipſe Antonius toga, ſive trabea, ſive laena amictus capite velato, cum baculo incurvo, videlicet cum omni augurali apparatu viſitur, epigraphe adjecta M. ANTONIVS M. P. M. N. AVGVR. IMP. TER.



De Antonii auguratu quoniam injecta neceſſario mentio fuit, dolus heic retegendus, ut mihi quidem viſum eſt, Johannis Jacobi Bonſagnae Parmenſis, coaevi Johannis de Cavino Patavini, in effingendis ad exemplar veterum numiſmatibus celeberrimi, de quibus Apolline dextero luſit Vionnetus [2].

> . . . . *Patavine doloſos,*
> *Parmenſiſque typis mendacibus indere vultus,*
> *Atque novum potuiſtis opus donare vetuſta*
> *Effigie, miraque oculis illudere fraude.*

Horum itaque primus Cavino tum ingenio, cum ſolertia, meo judicio, ſuperior nummum cudit, in quo Triumviri cernuntur ante Tripodem, cui *Orbis* impoſitus eſt, quaſi de totius terrarum orbis imperio inter ſe dividendo conſilia ineuntes. Antonius medius ſtat inter Octavianum, & Lepidum, &, utpote *Augur*, nedum nobiliorem occupat locum, ſed *lituum* laeva manu attollit. Infra IIIvirorum pedes ſedet *Concordia* hinc *cadu-*

1 Rideas profecto ſubtilem illam Harduini partionem, *operum ſelectorum pag.* 477. *Amſtelod.* 1709., diſtinguenda eſſe in nummis ea vocabula, *Imperator*, *Princeps*, *Auguſtus*: quod Imp. in *exercitu*, Princeps in *Urbe*, Aug. in *provinciis* ſit appellatus &c. Quae quamvis aliquam ingenii praeſeferant ſpeciem, nullam tamen habent veritatis.

2 Georgii Vionnet S. J. *Muſeum Nummarium part.* IV. *edit. Helmneſtadii* 1744. ex recenſione cl. Schlaegeri.

caduceum, pacis, mutuaeque amicitiae ſymbolum gerens, illinc vero *Cornu-copiae*, futuram ex hac nova imperii forma rerum abundantiam quaſi praenuncians. Quod multo luculentius innuere voluit caelator, addito circum lemmate, Salvs Generis Hvmani. Quum autem hi ſagaciſſimi artifices ad gratiam, auctoritatem, pretiumque operi conciliandum veroſimilia, & perſonis convenientia plerumque inſculperent, & ex certa aliqua, memorabilique hiſtoria totius affigurationis argumentum repeterent, crediderim, Bonſagnam in hoc typo fabricando ad ea Lucani carmina lib. I. fortaſſe reſpexiſſe:

> *O male concordes, nimiaque cupidine caeci,*
> *Quid miſcere juvat vires, ORBEMque tenere*
> *IN MEDIO?* . . . .

Hujus aerei nummi ſchema ex Tabulis Oudaani edidit Jacobus Oiſelius *tab.* LXXVIII. *num.* VI. Aſt oculo ſi quid cenſore valebis, & cautior obſervabis opus, facile ex illius ſtructura cognoſces, ab antiquorum numero eſſe expungendum, & Groningenſem Profeſſorem Parmenſis arte, fraudeque illuſum fateberis. Adde huc, quod ſuperba illa, & arrogans inſcriptio Salvs Gen. Hvmani ante Galbam in ſincera, puraque moneta minime occurrat. Nam etſi conſueverint antiquarii ad calcem Conſularium nummos apponere, quibus circum victoriolam, aut in corona querna tria haec ipſa verba inſculpta ſunt, eoſque vel ad Familiam Juliam, vel ad aliam illius aevi referre; ſerius ego publica forma ſignatos affirmaverim [1]. At inquies, eccur ergo ad hanc ipſam pſeudonummorum claſſem non etiam ablegandus alter Triumvirorum eadem cum inſcriptione, de quo nuper diximus in adnotatione pag. 15.?

Ad

1 Novi profecto circumferri nummum Auguſti, in quo Victoriam *clypeum votivum* gerentem excipiunt eadem verba, SALVS &c. Cui quidem nummo in ſerie aureorum locum conceſſere nonnulli ſcriptores, ut enarrator Arſchotanus *in Aug. Antuerpiae* 1654. & Bieus, *Numiſm. Imp. Tab.* II. *edit.* II. *Amſtel.* 1738. ex quo bona fide exſcripit Blaſius Caryophilus *de Clypeis veter. pap.* 84. *Lugd. Batav.* 1751. Sed hunc etiam, ſi me audis, pro ſpurio habeto. Genuinus ſane eſt, qui victoriam cum CL. V. praeſefert, ſed veterator aliquis, ut quaeſtum faceret ex novitate, antiquo typo epigraphen de Galbae, & Commodi, Caracallae, Trajani &c. nummis hauſtam adjecit: ut eſt horum hominum mos, qui quò facilius poſſint tacitis illudere furtis, aut notis ſymbolis novam inſcriptionem, aut uſitatae inſcriptioni mira ſymbola doloſe alligant.

Digitized by Google





Ad ſuppoſititios utrumque dejice, per me licet; vereor namque, ne ejuſdem ſint furfuris: verumtamen quum alterum tantummodo prae oculis habuerim, ac Bonſagnae artem, & caelum recognoverim, hunc libere damnavi; ſed de priore, quandoquidem is in manus mihi hucuſque non incidit, aliorum ſit judicium. Ceterum ne mihi culpae vertas, quod ea in adnotatione ad fidem faciendam monumentum ſin minus falſum, mihi ſaltem dubium attulerim, diſcriminis cauſſam jam habes, quare alterum libere rejecerim, alterum penitus improbare non auſus fuerim. Memineram etiam, dum ſcriberem, magnum Spanhemium in pereruditis animadverſionibus ad Juliani Caeſares [1] pro genuino habuiſſe: a quo tamen mihi fas eſt diſſentire, quod cum illo alterum a nobis mox jure repudiatum uno in ſchemate conjunxerit, nihilque de alterutrius falſitate addubitarit. Sed ad Antonium redeamus.

Ex tanta Auguratus exiſtimatione, quae illius animo alte inſidebat, certe profluxit, ut in pleriſque aliis nummis juxta illius caput *lituum* adpoſitum videamus, & in aliis una cum lituo guttum ſacrificum, ſimpulum, aguraculum, vas praefericulum, ſecurim, apicem pontificalem, aſpergillum, & pullum gallinaceum, ex quo tam varia, ſed vere ridicula *οἰωνόσκοποι* capiebant auſpicia [2]. Aliud etiam ſacerdotium ab Antonio ambitioſe ſuſceptum comperimus; ſiquidem fuit ille de-

F lectus

1 *Les Ceſars de l'Empereur Julien. Rermarque* 701. *à Amſterdam* 1728.

2 Si quid teſtibus opus eſt in re notiſſima, adi Henricum Schroederum *de vario Gallorum uſu apud veteres. Lipſiae* 1743. & Jo. Dan. Schoepflinum *de auſpiciis Romanorum cap.* II. *Baſileae* 1741.

lectus *Flamen* Caeſaris, cui per ſummam adulationem gens Romana Jovis nomen impoſuerat, templa, aras, ſacerdotes, ſacrificiaque decreverat. Audiendus Dio: *ἱερέα σφίσι τὸν Ἀντώνιον, ὥσπερ τινὰ Διάλιον, προχειρισάμενοι*, *ſacerdotio ipſius* (Caeſaris) *Antonium quaſi Dialem praefecerunt*[1]. Eo, niſi fallor, alludunt monumenta, ubi Antonius velato capite, & laureo ſerto redimitus comparet, ut in ſarda theſauri Embermayeri[2]; quemadmodum enim ab Athenaeo obſervatum eſt, Romae viri primores, qui ſacerdotio fungebantur, *τὴν περιπόρφυρον ἐνδεδυκότες, ἐστεφανώμενοι πελέκει τὰ ἱερὰ κατέβαλον*, *togam praetextam induti, & coronati victimas ſecuri percutiebant*[3]. Plura alia ſuppetunt argumenta, quibus evidentiſſime probatur, Myſtas, Jerophantas, Diales, Aruſpices, Victimarios, omneſque qui ſacrificiis aderant, tum apud Graecos, cum Latinos *Στεφανοφόρους* fuiſſe; ſed nihil eſt opus exemplis id facere longius. Quid enim afferam praeclarius his, quae Paſchalius, Seldenus, Triſtanus, Spanhemius, doctiſſimuſque Conſul Daventrienſis[4], ex nummis, marmoribuſque ea in re prodiderunt? Illud tamen (abſit invidia verbo) Spanhemio minime concedam, exſtare nummum, ex quo evincitur, Antonium Epheſi ſacris Dianae praefuiſſe. *Inter nummos autem Marci Antonii* (inquit ille) *unus occurrit Patinianae collectionis cum effigie Dianae Epheſinae, ac inſcriptione*, APXIEP. *Quo nomine eumdem Antonium hujus Dianae Flaminem adſumptum credam omnino deſignari*[5]. Excidit hic revera eruditiſſimo, & immortali viro leve mendum, ex quo tantum abeſt, ut quidpiam illius laudibus demptum velim, ut exinde potius admirabilem Spanhemii ſolertiam, felicitatemque ingenii inferri poſſe putarim, quod in tam ſpiſſo opere, in tanta rerum varietate, nihil, niſi major alicubi diligentia, ac ſeveritas deſiderari fortaſſe poſſit. Primo quidem nummus ad Antonium proprie pertinere dici nequit, quum Lepidi, Octaviani, & Antonii jugata capita referat. Deinde quo ſpectet vox illa APXIEP. facile deprehendi poteſt

1 *Lib.* XLIIII.

2 *Theſaur. Gem. cap.* III. *tab.* IV. *fig.*107. *Norimbergae* 1720.

3 *Deipnoſoph. lib.* XIV.

4 Gisbertus Cuperus *Apotheoſis, vel conſecratio Homeri pag.* 70. *&c. Amſtelodami* 1683.

5 *De V. & P. Num. Diſſ.* X. *§.* III. *tom.* II. *edit.* 1717.

teſt ex integra nummi inſcriptione. Quem edidit Patinus, epigraphen maxima ex parte obliteratam, temporiſque injuria erоſam habebat, ſed plures ſunt numiſmatum collectores, qui adhuc vitio incolumem, integrum, perfectumque protulere, atque in eo exſtantibus perſpicue litteris legitur: ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΓΡΑΜΜατευς ΓΛΑΥΚΟΝ ΕΥΘΥΚΡΑΤΗΣ ΕΦΕσιων; *Pontifex, Scriba Glaucon Euthycrates Epheſiorum* [1].

Demum quia in eruditae vetuſtatis reliquiis explicandis illud ſemper cenſui deſcriptoribus curae eſſe oportere, ut explorent quem finem, quid ſummum, & ultimum in illis fabricandis veteres propoſitum haberent, quod hinc non exigua ex his ſtudiis enaſcatur utilitas; nunc qui fuerit Conſularium denariorum M. Antonii uſus, noſtra referet perveſtigare. Quaeſita olim res, multaque concertatione diſputata, an nummi, quos in dies egerit tellus, monetae uſitatae vicem praeſtiterint. Multa primum, ut meminiſti, turbavit Ericius, qui irrito plane conatu probare contendit, ſignatum aes Principum effigiem, nomenque referens, non commercio, non contractibus, non ſtipendiis umquam inſerviiſſe, ſed meras fuiſſe largitiones, quae a Principibus populo dabantur, ſive ad virtutem remunerandam, ſive potius ad ſui nominis, factorumque memoriam poſteritati commendandam [2], quo nihil abſurdius, nihil ineptius dici, excogitarique poterat. Inane hoc Ericii commentum praeverterat Aeneas Vicus [3], copioſiuſque refutavit Savotus [4]; ac neminem hoc tempore eſſe arbitror, qui non perſuaſiſſimum habeat, numiſmata omnia (quae a *Miſſilibus* facile diſtinguuntur) vulgarem pecuniam fuiſſe, quae vectigalibus, & tributis ſolvendis, militibus, & adminiſtris alendis, venditioni, & emptioni perficiendae, caeteriſque vitae uſibus communiter impendebatur. Quae quum ita ſint, ſic ſtatuo, affir-

 moque

1 Vide Vaillantium *Numiſmat. Impp. Graec. loqu. pag.2. Amſtel.*1700. Morellum *ſpecimen rei nummariae tab.*XXIV. *Lipſiae* 1695. Haym *Theſaur. Britann. volum.* 2. *pag.*168. Havercampium *Theſaur. Reginae Suecorum. Tab.* XLIII. *Hagae Comit.* 1742. Muſeum Muſellianum *tom.* 1. *Impp. tab.*1I. *Veronae* 1751.

2 *Diſcorſo di Sebaſtiano Erizzo ſopra le medaglie &c. in Venezia* 1559.

3 *Diſcorſi ſopra le medaglie &c. cap.*V. *in Venegia* 1558.

4 *Diſcours ſur les medailles antiques &c. à Paris* 1627.

moque, nummos Marci Antonii effigie, ac nomine vel Praeſidum Monetalium conſenſione, vel ſuo tantum imperio, juſſuve ſignatos, uſibus mox indicatis revera fuiſſe deſtinatos. Quod ſpectat ad *Legionarios*, eos in diurnum ſuorum militum ſtipendium ab Antonio fuiſſe praecipue percuſſos, veroſimillimum videtur: nam ſi eos cum aliis argenteis Conſularibus, quibus *decuſſis*, ſive nota valoris impreſſa eſt, contuleris, & utroſque aequa lance ponderaveris, Antonianos procul dubio *denarios* eſſe reperies. Jam vero etſi de diurno militari ſtipendio Triumvirorum aetate nihil certi, perſpicuique afferri fortaſſe queat, idem tamen exſtitiſſe reor, quale non multos poſt annos in ſeditione Pannonica a Druſo milites exegiſſe apud Tacitum lib. I. legimus. Conquerebantur, *militiam ipſam gravem, infructuoſam, & denis in diem aſſibus animam, & corpus aeſtimari*; proinde petebant, ut ſextus decimus ſtipendii annus finem afferret laboribus: quae vacatio Praetorianis concedebatur, qui quamvis plus periculorum non ſuſcepiſſent, *binos denarios* accipiebant. Renovata tunc cum militibus conventio, & ſponſio *de miſſione a ſexdecim annis, de praemiis finitae militiae, & ut* DENARIUS *ſtipendium diurnum foret*. Quamvis vero varius in Repub. fuerit pro varia temporum, rerumque conditione denarii valor, & ſexdecim aſſibus aliquando ſit permutatus, *in militari tamen ſtipendio ſemper denarium pro decem aſſibus datum*, ex Plinio intelligimus [1]. Fuit autem ea in re Romanae militiae cum Graeca quidam conſenſus, ut idem eſſet utriuſque ſtipendium. Thucydides enim de Claſſe Athenienſium ita ſcribit: τὴν δὲ γὰρ Ποτιδαίαν δίδραχμοι ὁπλῖται ἐφρούρουν. αὑτῷ γὰρ, καὶ ὑπηρέτῃ δραχμὴν ἐλάμβανε τῆς ἡμέρας; *nam qui Potidaeae erant milites praeſidiarii, binas drachmas merebant; ita ut tamen alteram ſuo, alteram nomine famuli quotidie acciperent* [2]. Porro quis eſſet drachmae Atticae valor, diſerte adnotavit Plinius lib. XXI. *Drachma Attica denarii argentei pondus habet*. Nec vero id tantum contigit Veſpaſiani, Trajanique temporibus, quibus Plinius vixit, ſed IIIviris adhuc Rempublicam curantibus. Quaeſo, in animum revoca quae de Octavio teſtatus eſt Cicero ad Atticum ſuum: *magna molitus; veteranos quique Caſilini, & Calatiae ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam: nec mirum; quingenos* DENARIOS *dat* [3].

Id

1 *Lib. XXXIII. cap. III.* 2 *Lib. III. Bel. Pelopon.* 3 *Lib. XVI. ep. VIII.*

Id ipſum referens Dio his utitur verbis : καὶ ἔδωκεν εὐθὺς τότε πεντακοσίας ΔΡΑΧΜΑΣ ; *& dedit ſtatim tunc quingenas DRACHMAS*[1]. Ex quibus, ut vides, conficitur, M. Antonium ſuos Legionarios milites ea mercede conduxiſſe, quae duabus nationibus bello perpetuum exercitatis fuerat uſitata. Atque ut ea, quae hucuſque diſputavimus, in rem noſtram propius convertamus, illud etiam conſequens videtur, nummum, cui adpoſita, ſignataque eſt nota Leg. xxx. fuiſſe probabiliter percuſſum, quum primum ea Legio tranſiit ad Antonianas, pro diurno ejuſdem ſtipendio.

Plura fortaſſe jam, quam volebas, ad univerſam tui nummi affigurationem, ejuſque epigraphen explicandam undecumque contuli; ſed in veteribus monumentis interpretandis malui ſemper videri diligentior, nihilque reliquum facere, quod eſſet propinquitate quadam cum argumento conjunctum, ut ſaltem rerum copia vario lectorum obſequerer ingenio. A te vero, Vir Egregie, illud peto, ut ſi paullo latius diſputando, refellendoque vagata eſt oratio, intelligas, quam libenter voluntati tuae indulſerim, & quod tuo juſſu mihi erat curandum, omni me contentione, ſtudioque praeſtitiſſe.

SE-

1 *Lib.* XLV.

SECTIO SEPTIMA.

Nummorum aeſtimandorum ſcientiam exercitatione, uſuque potius, quam varietate litterarum comparari. Nuperi Ariſtotelis, Biantis, Artemiſiae, Scipionis nummi a viris doctis genuini, & antiqui crediti. Sylloge aliquot argenteorum, qui ſaeculo XVI. *in eadem officina percuſſi. De nummo Homeri muſei Farneſiani. Ementiti alii Graecorum heroum. Hiſtoria nummi Graeci M. T. Ciceronis ex Cod. Vaticano commercii epiſtolici Fulvii Urſini attexitur. Latinus a Lambecio editus quanta laboret ſuſpicione. Alius ex muſeo Oliverio nitidiſſimi operis, cujus diagramma exhibetur.*

QVamquam te, optime Roncalle, his ſtudiis liberaliſſimis, & doctrinis jamdiu vacantem, oportet abundare praeceptis, inſtitutiſque, quibus rei nummariae ſcientia continetur; tamen quia in noſtris litteris de antiquariorum erratis non ſemel mentio incidit, atque iſta ipſa in re aliquid judicio noſtro concedere ſoles, imo vero, quae tua eſt humanitas, quaſi quaſdam praeceptiones ex me flagitare, ab ſuſcepta diſputatione non ſum alienum arbitratus, ſi, quod initio propoſueram, ſermonem eo devolvi committam, quo tua percontatio illum appellat, & ad ſe quodammodo rapit, ut pro tuo in nos officio, & noſtro in te ſtudio munus hoc cumulatiſſime tuae largiamur voluntati. Porro ego, ſi memoria tenes, quum de Antoniano denario inter nos diſceptaretur, illorum vehementer coargui levitatem, ne arrogantiam dicam, qui quum hanc artem vix attigerint, nihilominus id ſibi ſumunt, ut de re nummaria plura extemplo aut aſſertione comprobent, aut pernegent ſine ulla haeſitatione. Nam ſi, quemadmodum apud Ciceronem eſt, nihil turpius aliqua in re, quam cognitioni, & perceptioni aſſertionem, approbationemque praecurrere; turpiſſimum ſane eſt in hac facultate, quae ſine exercitationis aſſiduitate vix juvare poteſt, quaeque omnis ad experientiam, & quotidianam pene obſervationem videtur eſſe revocanda. Solent illi in quadam mentis acie, & varietate litterarum ſumma omnia ſtatuere, quibus, ſi paullo excellant, nihil eſt in nummis tam abſtruſum,

ſtruſum, tam ambiguum, tamque a communi ſenſu remotum, de quo ſententiam liberius non ferant: a quibus ſic diſſentio, ut meum judicium ſemper fuerit, numiſmatum dignoſcendorum ſcientiam uſu potius, quam ingenio, exercitatione melius, quam doctrina comparari. Id igitur tibi ex animo numquam exuri patiare, hanc expeditam, & compendiariam ad eam artem adipiſcendam eſſe viam, & niſi accuratiſſima contemplatione, collationeque iterata numiſmata aeſtimare propoſueris, cetera bonarum artium praeſidia vix eſſe profutura, ut ſincera prae adulterinis ſuſcipias. Atque haec ſaepe cauſſa fecit, ut viri litteris, doctrinaque ceteroquin praeſtantes, quibus tamen paucos admodum nummos videre contigerat, adulterinos, & novitios tamquam germanos, & antiquos vulgarint.

Doluimus interdum Italiae vicem, quum videremus egregia, ac perrara numiſmata trans mare, trans alpes confertim aſportari, ſed nobis temperare haud potuimus, quin ſummam hujus artis miraremur inſcitiam aliquorum ſcriptorum, qui recentis fabricae nummos in Italia cuſos, perinde, ac ſi fuiſſent optimae vetuſtatis monumenta, elaboratiſſimis obſervationibus ſuſceperunt explicanda. Inter hos Corn. Dieterichus Kochius, qui aureum Aʀɪsᴛᴏᴛᴇʟɪs nummum pro legitimo edidit [1], Chriſtianus Got. Joecherus, qui argenteum ΒΙΑΝΤΟΣ ΠΡΙΗΝΙΟΥ cum lemmate ΜΟΝΩ ΤΡΙΠΟΔΟΣ ΑΞΙΩ antiquiſſimis putavit accenſendum [2], Joh. Chriſtianus Avenarius [3], & Maria Dorothea Loeſcher [4], a quibus argenteus ille ſuppoſititius ΑΡΤΕΜΙΣΙΑΣ = ΜΑΥΣΩΛΕΙΟΝ duplici diſſertatione eſt illuſtratus. Ita ſane noſtri ſycophantae inſigniter illudunt his, qui ſola doctrina fiſi, ſed nulla freti experientia nummorum ſibi arrogant judicium. Quamquam non exteros tantummodo, & ultra alpes natos homines heic expoſtulari volo, quum in eadem culpa, ſimilique in errore fuiſſe videam virum illuſtrem, quem ediderat, & in-

1 *De Ariſtotele in nummo aureo Programma Helmſtad.* 1703.

2 *Diſſertatio de Biante Prienaeo in nummo argenteo Lipſiae* 1714. Hujus moduli, & formae exſtant alii ceterorum Graeciae Sapientum.

3 *Diſſ. de Artemiſia, & Mauſoleo occaſione nummi. Lipſiae* 1714.

4 *Reflexions ſur une Medaille d'Artemiſe Reine de Carie, & de ſon Mauſolèe pour honnorer la memoire de feu M. Chretien Guillaume Loeſcher, faites par ſa fille aſſigèe Marie Dorothee Loeſcher. à Potſdam* 1748.

& inter cultiores Muſas educarat Itala tellus. Eſt is Benedictus Bachinius, quantus vir, quantique nominis! qui in latina ad celeberrimum Bibliothecarium Magliabequium epiſtola [1] explicationem tradit nummi argentei Scipionis, ut ille ait, minoris, in cujus antica facie caput nudum circumambit inſcriptio P.C. SCIPIO AFRICAN. in poſtica Scipio triumphans curru quadrijugi vectus apparet. Omnem doli, fraudiſque ſuſpicionem ab hoc nummo Bachinius contendit amoliri, quamvis alterum Scipionis ſenioris iiſdem emblematis ornatum, addita epigraphe, CAR*thagine* SVBAC*ta*, tamquam a nupero artifice excogitatum, effictumque explodat. Sed uterque in eadem recentiſſima officina cuſus, ex qua etiam profectos non dubito ſequentes ejuſdem moduli, ac metalli.

M. VALERIVS. *Caput nudum.*
SVB*acta* LIG*uria*. *Arula prope tropaeum.*

Q. FABIVS MAX. *Caput nudum.*
TARENTO RECEPTO. *Faſces Conſulares cum ſecuribus.*

L. CINNA IIII. COS. *Caput nudum.*
MARTI VLTORI. *Templum tetraſtylum cum ſimulacro.*

C. MARIVS VII. COS. *Caput nudum.*
VICT*oria* CIM*brica*. *Tropaeum.*

ATILIVS CIMBER. *Caput nudum, ante quod pugio.*
R. *Sub pileo diadema cum ſceptro alato.*

M. LICINIVS CRASSVS. *Caput nudum.*
PARTHIS DEVICTIS. *Tropaeum.*

M. PETREVS. *Caput nudum.*
R. *Vrnula, ex qua ſerpens prodit.*

T. LABIENVS. *Caput galeatum.*
CINGVLVM. *Vrbs turrita* [2].

Porro

1 Exſtat in opere, *Novelles de la Republique des lettres tom.XI. pag.37. Janvier 1689. à Amſterdam. 1716.*

2 Pro genuino vulgavit Cl. Maffejus *Verona illuſtrata Tom.III. pag.235. num.12. Verona 1732.*

Porro ſi typi formam, ſi capitum lineamenta, ſi emblemata, ſi inſcriptiones, ſi flexus litterarum, ſi denique incautam polituram ſeveris oculis exploraveris, eaſdem prorſus notas κακυργίας, ſallaciaeque, quas in modo recenſitis monumentis jamdiu viderunt viri experientiſſimi, plane deprehendes in duobus Scipionum numiſmatis. Claruit revera Bachinius multiplici eruditione, ſcriptiſque maxime hiſtoricis, ac theologicis, ſed non omnia poſſumus omnes, nec eſt adeo excultum ingenium, quod poſſit in quavis arte eſſe praeſtantiſſimum. Sed non hic aſtutiarum, fraudumque monetariorum finis.

Eſt ea ſapientiae, virtutiſque excellentia, & dignitas, ut ſui admirationem non modo praeſentibus injiciat, ſed ad poſteros etiam longiſſime tranſmittat; quare libenter in illorum ora, vultuſque intuemur, qui laudabilem vitam, & gloriarum plenam tranſegerunt. Natura itaque quaſi duce factum eſt, ut illuſtrium virorum memoria, qui praeſtantis animi, aut doctrinae fama floruerunt, ſit in nummis vel a principibus, vel a populis interdum reſtituta. Vt ex multis pauca referam, Homeri,

Cui fuit in tanto non parvum pectore numen,

effigiem publicae monetae commendatam voluerunt Smyrnaei, Cretenſes, Chii, Amaſtriani. Jam vero huic hominum ingenio, veterique conſuetudini callide morigerati ſunt nuperi monetales, qui, ut antiquitatum ſtudioſis facilius imponerent, notiſſima capita ſemel, & iterum in antiquis denariis expreſſa reſtituerunt, novis tamen adjectis a tergo emblematis, quibus plus pretii operi accreſcat. Et ne a mox laudato poëtarum chorago diſcedamus, publicavit olim Pedruſius [1] Homeri numiſma, in cujus averſa parte, ut ille interpretatur, poëta viſitur haſtatus, cui aquila divinos honores denuntiat, victoria coronam porrigit, adſidentibus Junone, cujus auſpiciis Iliada conſcripſit, & Marte, cujus bellicas virtutes reſonant Homerici libri. Inferiorem nummi partem exornant Neptunus, & Amphitrite cum monſtris marinis, quibus Graecorum navigationes indicari exiſtimat. Nummum ad Argivos referri debere credit Pedruſius, qui de illius

G vetu-

1 *Muſeo Farneſiano tom. v. i Ceſari in Medaglioni tab.* 1. *n.* 1. *Parma* 1709.

Digitized by Google

vetuſtate nec hilum ſubdubitat. At vero num ab Argivis uſque repetenda ſit numiſmatis aetas, perſpicue, certoque commonefacit illius modulus, a Johanne Cavino affabre elaboratus, qui Pariſiis in Muſeo S. Genovefae adſervatur, & cujus ectypon in lucem dedit Moulinetus [1]. Simillimum huic ex cimelio Brandeburgico extulit Schottus [2], ſed id primum monuit, eſſe Patavini monetarii ementitum opus. Perſpicis igitur, Vir Docte, quae ſit adhibenda diligentia in ſingulis nummorum adjunctis conſiderandis, ne captioſa quadam probabilitate fallamur. Interim huic Homerico nummo ceteros velim adnectas **ΣΟΛΟΝΟΣ, ΠΛΑΤΟΝΟΣ, ΠΙΤΤΑΚΟΥ, ΣΕΞΣΤΟΥ**, (Cheronenſis) **ΠΡΙΑΜΟΥ, ΔΙΔΟΝΟΣ** &c. quos Geſnerus undecumque exſcripſit [3], nihil tamen de illorum ψευδοποιΐα tyrones inſtruens, qui, dum flagrat nummos adipiſcendi primus amor, facillime in errorem inducuntur.

At cum Marco Antonio, de quo maxime hoc in libro fuit dicendum, nemo ſic tempore, officiis, variaque fortuna conjunctus, ut M. Tullius Cicero,

> *Egregium ſemper patriae caput, ille Senatus*
> *Vindex, ille fori, legum, rituſque, togaeque*
> *Publica vox*,

cujus ope, & conſuetudine quantum profecerat Antonius, tantum de miſera, ac fraudulenta illius internecione nefarie gaviſus eſt. Quamquam plures hujus ſummi hominis imagines, vel marmoreis ſtatuis [4] expreſſae, vel gemmis caelatae [5] adhuc aetatem

1 *Deſcription de la Bibliotheque de Saint Geneviève Planche* XLI. *à Pariſ.* 1642.

2 *Explication novelle de l'Apotheoſe d'Homere par M. Schott pag.* 116. *à Amſterdam* 1714. Qui typum Lutetiae ſe vidiſſe affirmat.

3 *Numiſmat. Antiquit. Vir. Illuſtr. tab.* I. II III. IV. *Tiguri* 1738.

4 Confer quae *ad Muſeum Capitolinum tom.* I. *tab.* LXXXII. *Romae* 1741. adnotavit bonarum artium, juxta ac ſacrarum litterarum cultor eximius, & vir integerrimus Johannes Bottarius.

5 V. inter ceteros Leonardum Auguſtinum *Gemme antiche P.* I. *pag.* 38. *Romae* 1686.

Begerum *Theſaur. Brandeburg. vol.* I.

Gronovium *Theſaur. Antiqu. Graec. tom.* VIII.

Embermayerum *Theſaur. Gem. c.* VI. *num.* 366. *&c.* Omnium elegantiſſima eſt *Sarda* Muſei Galliarum Regis, quam abſolutiſſimo artificio, & exqui-

tem ferant; nullus tamen exſtat antiquus illius nummus publica cuſus auctoritate. Sed fuerunt noſtris temporibus induſtrii metallorum typothetae, qui Graecos, & Latinos Ciceronis nummos tam concinne ferire curarunt, ut etiam viris litteratis impoſuerint. De Graecis primum. Memoratu profecto dignum, quod immortali Fulvio Vrſino, labente ſaeculo XVI. accidiſſe plane conſtat ex autographis illius, aliorumque ad illum epiſtolis, quas inter Vaticanos Codices [1] mihi indigitavit eruditiſſimus Bibliothecae Imperiali Praefectus, meuſque perneceſſarius Conſtantinus Ruggerius. Quemadmodum res geſta ſit a principio, ſuoque ordine praeſtabit narraſſe. Erat per eos dies Bononiae inſignis quidam ſcrutarius, ſeptuagenario major, cognomento Julius Caeſar Velus, ut eſt horum hominum ingenium, ſemidoctus, ſemperque ad circumveniendum fallendumque projectus, qui cum Fulvio noſtro veterum monumentorum cupidiſſimo, ob eam rem litterarum commercio frequenter utebatur. Nullus enim, ita dixerim, erat Italiae angulus, in quo antiquitates ſtudioſiſſime non conquireret Vrſinus. Velus itaque die XXI. Januarii anno CIƆIƆXCVIII. per epiſtolam, longo ad captandum hominem adhibito praeloquio, Fulvio ſignificavit, vidiſſe ſe inſignem, & unicum M. T. Ciceronis nummum: operis praeſtantiam ſubtiliter magnificavit, & quo majorem injiceret cupiditatem, affirmavit, nummum a poſſeſſore, qui pro merito illum permagni faciebat, nonniſi 100. aureis nummis poſſe redimi. Vix datis a Velo his litteris, Alexander Borgianus, qui erat nummi poſſeſſor, die XXVIII. ejuſdem menſis ipſemet Vrſino ſcripſit, & novis encomiis ſuum numiſma cumulavit. Laetiſſimo nuncio, operis novitate, tantiſque laudibus illectus Vrſinus, de nummo emendo cum Velo agit. De pretio per novas epiſtolas contenditur. Velus, & Borgianus eſſe, quibus pluris poſſit divendi, quam Vrſinus vellet dare, afferunt [2]. Tandem Fulvius cum Velo paciſcitur, 100. florenos argenteos pro numiſmate ſe daturum: convenit inter eos [3], & de empto numiſmate Romam ſumma cau-

 tione

quiſita teneritate acri redditam dedit hujus artis ſcientiſſimus Petrus Mariette. *Recueil des Pierres gravèes du Gabinet. du Roy tom.* I I. *P.* I I. *num.* 45. *a Paris* 1750.

1 *Cod. Vatican.* 4104. *pag.* 276. 280. 286. *Cod.* 4105. *pag.* 86. 86. 88. 330. 336.

2 *Epiſt.* XI. *Februarii.*

3 *Epiſt.* XIV. *Februarii.*

tione mittendo deliberatur [1]. At peritis illuſiſſe nefas. Vix nummus in urbem aſportatus Vrſino contraditur, thecnas ille perſentit, falſitatis ſigna odoratur, & cum venditore fraudationem expoſtulat. Plura reſcripſit Borgianus, ut purgaret ſe ſe, nummumque a quavis liberaret ſuſpicione [2]; at neſcio, an illi ex ſententia res ceſſerit; videtur enim Vrſinum dubia ſemper, ancipitique fluctuaſſe cogitatione quid de hujus nummi antiquitate ſtatueret.

Sed quid exhibet contuendum hocce monumentum tantarum litium, & concertationum? M. T. Ciceronis caput, graeca epigraphe, ΜΑΡΚΟϹ ΤΟΥΛΛΙΟϹ ΚΙΚΕΡΩΝ; in parte averſa manum, quae ſymbola ubertatis frondeam coronam, ramuſculum palmitemque ſuſtentat, addito Vrbis nomine, ubi nummus cuſus fingitur, ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΑΠΟ ϹΙΠΥΛΟΥ. Et quoniam Magnetes ad fluvium Sipylum monetam *Praetoris* auctoritate ſignabant, non *Scribae* juſſu, ut ii, qui ad Meandrum [3], Praetoris Μαγνήτων nomen ΘΕΟΔΩΡΟϹ in area de induſtria eſt inſculptum. Totum pene litteratum orbem nummi digramma peragravit, atque in eruditorum hominum libris iterum, & ſaepius publicam ſubjit lucem. Andreas Schottus praefixit, licet arbitratu ſuo deformatum, Quaeſtionum Tuſculanarum libris, quos a ſe emendatos dedit ann. cIↃIↃcx. Triſtanus Sanctamantius ſuis commentariis amuſſim inſeruit [4], Gronovius adpoſuit in fronte Operum Tullianorum editionis Lugduni Batavorum an. cIↃIↃcxcII. &c. Sed autographum jure ſupremarum tabularum ipſius Vrſini una cum omnibus, quas poſſederat, antiquitatibus ad muſeum Principum Farneſiorum eſt devolutum. Teſtamentum enim condens die xxI. Januarii anno cIↃIↃc. legavit Cardinali Tit. S. Euſtachii Odoardo Farneſio *numiſmata aurea, argentea, aerea, gemmas varias, cameos magnae aeſtimationis, & valoris* [5], *ſigna aenea, imagines illuſtrium virorum marmoreas &c.* [6] Vi-

1 *Epiſt.* xxv. *Febr.*, & iv. *Martii*.

2 *Epiſt.* xx. *Martii*.

3 De duplici Magneſia praeter nummos conſule *adnot.* ad Marmora Oxonienſia *Mar.* CLXXVII. *Londini* 1732.

4 *Tom.* II. *pag.* 429. *Commentaires hiſtoriques &c. a Paris* 1644.

5 Inter haec recenſenda inſignis cuppa ex achate Orientali, quae nunc una cum ceteris Farneſianis antiquitatibus Neapoli in Regis aedibus adſervatur. Cimelium hoc quantivis pretii deſcripſit Cl. Scipio Maffejus, *Oſſervazioni letterarie tom.* II. *Verona* 1738.

6 Teſtamentum Fulv. Vrſin. in actis Notarii Quintiliani Gargarii eſt ad cal-

Videamus nunc quid de hujus nummi *γνησιότητι* ſenſerint deſcriptores. Primo loco commemorandus eſt Antonius Faber, qui in Commentariis ad imagines virorum illuſtrium ipſius Vrſini ad hunc modum habet. *Eſt igitur cuſum numiſma a Magneſianis ſub Quinti Fratris imperio, ſub quo omnes Aſiani complura, maximaque beneficia a Cicerone acceperunt, ob quae publicos honores illi decreverunt*; *quorum Cicero ipſe meminit Epiſt. I. ad Q. Fratrem lib. I. & ad Atticum lib. V. ep. ultima*[1]. Novus acceſſit patronus Pedruſius, qui grandi verborum apparatu nummum a novitatis accuſatione vindicare connititur[2], ſimiliterque conjecturam capit ex his, quae Cicero dixerat de Aſianorum in Q. Fratrem benevolentia. Sed neque Faber, neque Pedruſius tantam collegit in antiquariis commendationem, ut fas ſit illorum ſententiae ſine cunctatione aſſentiri, atque in hac una auctoritate conquieſcere. Acutius certe in his rebus videbat Vrſinus; ſed quid, quod de ſuo nummo ſemper dubitavit? poſt diuturnam inſpectionem adhuc aſſenſionem cohibuit? nec aliorum evictus argumentationibus ſuſceptam haeſitationem ex animo depoſuit? Poſſem etiam Fabro, Pedruſioque opponere peritorum noſtri aevi virorum judicia, qui olim Parmae, nuperque Neapoli nummum ſedulo examinarunt, & quorum teſtimonio dolum retegunt aſcititius aeruginis color, & impreſſum alicubi limae vitium. Addo artificis *σφάλμα* in ſcribendo Magiſtratus nomine. Notus inter Praetores Magnetum **ΑΥΡ. ΘΕΟΔΑΤΟΣ**, ſed in Vrbis illius nummis, qui eruditorum manibus teruntur, numquam occurrit **ΘΕΟΔΩΡΟϹ**, vel **ΦΕΟΔΩΡΟϹ**, quemadmodum in ſchemate Farneſiano; ex quo ut typothetae proditur inſcitia, ita etiam operis mentitio ſignificatur.

In tanta nummorum copia, & varietate, quos, eo vertente ſaeculo, *οἱ παραχάρακ?*, in vulgus emittebant, illud profecto erat expectandum, ut quoniam Cicero non tam ſui, quam totius Latini nominis celebritate univerſum pene orbem compleverat, numiſmata in illius honorem ſubdole procuderentur Latine

calcem vitae a Joſepho Caſtalione conſcriptae. *Romae* 1657. Conſtat etiam ex repertorio nummorum, quos Vrſinus legarat.

1 *Ad tab.* CXLVI. *edit. Antuerp* 1606.

2 *Muſeo Farneſ. tom.* VIII. *tom.* XI. *Parmae* 1721.

tine loquentia, quibus curioſos decipi facilius poſſe videbatur, quod jam exſtarent Gentis Tulliae denarii complures, nec in his, niſi caput deſideraretur tanti viri, qui familiares ſuos in Reipublicae libertate tuenda, in amicis defendendis, in negotiis gerundis conſtantia, eloquio, dexteritate longiſſime ſuperaret. Duo potiſſimum argentei ſub id tempus prodierunt, quos mihi contigit videre. Alter is ipſe eſt, cujus ſchema olim ediderat Petrus Lambecius Bibliothecae Vindobonenſis *lib.* II. *c.* VIII. *in cujus uno latere cernitur caput M. Tullii Ciceronis laureatum, cum hac a tergo inſcriptione M. T. CICERO; in altero autem Minerva in ſella, pone quam ſtat tripos, ſedens, dextraque manu imagunculam quamdam tenens, cum hac ſub pedibus inſcriptione MINERVE* [1]. Quanti illum fecerit Lambecius, ipſemet eodem in libro declarat. *Neque vero* (inquit) *de genuina, & incorrupta hujus nummi antiquitate quiſquam in re antiquaria examinanda, & dijudicanda vel mediocriter exercitatus jure dubitare poterit, cum, uti cuilibet ſuis oculis videre licet, ne minimum quidem ſuppoſititiae fraudis, vel, ſi ita liceat loqui, adulterinitatis indicium in eo appareat*. Multa deinde importune aggerit, quibus evincat, lauream coronam Ciceroni merito hic eſſe datam ob ea, quae fortiter, feliciterque in Cilicia, & Aſia geſſit, ac praecipue, quum apud Iſſum Imperator fuerat ſalutatus. Plura etiam de poſticae partis effigie, qua putat repraeſentari Minervae ſignum, quod Tullius, teſtibus Plutarcho, & Caſſio, domi in magna veneratione diu habuerat, deinde vero in Capitolio dedicarat, cum hac inſcriptione ΑΘΗΝΑ ΡΩΜΗΣ ΦΥΛΑΚΙΔΙ, *Minervae Romae cuſtodi*. Sed fruſtra ille & laudes nectit, & commentaria accumulat in novitium, ementitumque monumentum; quod ubi primum obſervavit Patinus, vir in re antiquaria aeſtimanda, ac dijudicanda multo peritiſſimus, omnia fraudis, & *adulterinitatis* indicia in eo animadvertit [2]: idemque, quod nos, judicium tulit, plus uſui, & ſuis oculis eſſe credendum, quam doctorum hominum eruditioni.

Quemadmodum vero a ſingulari Ciceronis in Minervam pietate hic pſeudomonetarius nummi ornamenta deſumpſit, alter

1 *Tom.* II. *p.* 726. *Vindobonae* 1669.
2 *In not. ad Suetonium numiſmat. illuſtratum in Aug. Baſileae* 1675.

ter ex Siculorum in Ciceronem benevolentia, ejuſque meritorum memoria accerſivit. Nemini non compertum, quot ille beneficiis, egregiiſque defenſionibus gentem illam ſibi devinxerit, quum Sicilienſem quaeſturam obtineret, vel potius, quum Romam reverſus nequiſſimum hominum, depeculatorem aerarii, publicum praedonem, vexatorem libertatis, labem, atque perniciem Provinciae Siciliae Verrem ſponte ſua in exilium diſcedere coëgit. Porro ſolertiſſimus παραχάρακτης finxit, Sicanos referendae gratiae ſtudioſos, beneficiique non immemores hanc Tullii laudem pecuniae commendaſſe, eamdemque quaſi grati animi perpetuum monumentum dedicaſſe M. T. CICERONI PATRONO; quod ut luculentius pateret, in altero orbe Inſulae ſymbolum ſignaſſe, circumſcripto lemmate; PROSTRATO VERRE TRINACRIA. Operis mentitionem nova impoſtura cumulavit, quippe in Tullii gena acrochordon, ſive *cicer* expreſſit, ex quo *Ciceronibus* nomen adhaeſiſſe putabatur. Numiſma non ſemel mihi obtulit ſpectandum nobiliſſimus Hannibal Oliverius Reipb. litterariae non tam uberrimo, lectiſſimoque antiquitatum theſauro, quam editis eximiis libris apprime charus, mihique omnibus neceſſitudinis cauſſis conjunctiſſimus; miratuſque ſum politiſſimi ſaeculi XVI. artificium maxima accuratione, teneritate, partiumque convenientia abſolutum. Quod quum in publicam lucem, typiſque expreſſum nondum, quod ſciam, exiverit, artium cultoribus, & Ciceroniani nominis devotis ectypam nummi imaginem ſumma fide caelatam objicimus contuendam.



SECTIO

Digitized by Google

SECTIO OCTAVA.

Aurei, ut vocant, Metalliones *qua aetate cudi caeperint. Hallucinatio, quae hac in re Clariſs. Gorio excidit. Weidneri error indicatur. Numiſma ἀδοκίμον* ΡΑΦΑΝΕΩΤΩΝ *uni Chamillardo, & Harduino probatum. Martinii commentum de Meſſeniorum imperio, & Jovis Ithomatii ſacris. Duo pſeudonummi Conſtantiniani ab Hekelio illuſtrati. Goezius deceptus ab inſititio Aquilae ſigillo in nummo Germanici. Quid nummus Domitiani, ab Obrechto Iſiacus nuncupatus. Vanae quaedam, futileſque Eccardi ad nummos Latinos obſervationes recenſentur, ac refutantur. Maſſilienſium, Iſtrienſium, Hadriani nummi Graeci ab eodem perperam MARCO ANTONIO, Tyro, & Auguſto attributi. Corollarium.*

O*Ptimus, & graviſſimus quiſque confitetur, ſe multa ignorare, & multa ſibi etiam, atque etiam eſſe diſcenda*[1]; nec eſt quiſquam tam eminenti ingenio, tamque abundanti doctrina, qui aliquando aut ipſo humanae naturae vitio, aut animi evagatione, aut inſita jam antea menti opinione non abripiatur, ne veritatem videat. Ad hunc ſcopulum incaute alliſiſſe doluimus Antonium Franciſcum Gorium, veterum monumentorum, ſi quis alius, veſtigatorem, cultoremque eximium (quem litteratorum ſocietati, & cultioribus diſciplinis, noſtriſque commodis maturius ereptum, quoad vixerimus, cum lacrymis, & deſiderio proſequemur) in libro numiſmatum maximi moduli Gazae Mediceae[2]. Vulgavit ille, & neſcio qua praejudicata ſententia ductus largius commendavit, ceu antiquitus fabricatum aureum nummum ampliſſimae formae, cui exſculptum viſitur velatum LIVIAE caput, ſubſcriptis litteris VESTA, ex adverſo figura ſtolata victoriolam dextera afferens, cum lemmate PIETAS, in area S. C. Sed a viri doctiſſimi judicio deſciſcere nos jubet Apoſtoli Zeni harum rerum in paucis peritiſſimi teſtimonium, qui Germaniam peragrans, cimelium hoc tantarum laudum

1 Cicero *Tuſculan. III.*
2 *Muſeum Florentinum*, Num. aur. *Claſſ. I. Tab. V. num. II. Florent.* 1748.

Digitized by Google

dum ſaeculo ſuperiore flatum detexit Vindelici Principis juſſu, qui varia hujus generis *miſſilia* aurea ad exemplum antiquorum aereorum numiſmatum efficta interdum largiebatur. Similia Auguſti, Veſpaſiani, Pertinacis, aliorumque Imperatorum recentioris typi ſigilla, quae parem prodebant aetatem, ſupra viginti vidiſſe ſe affirmat Zenus [1]. Nec auctoritate, aut nomine dumtaxat hujus ſummi hominis hic permovemur, ſed quod revera aurei, ut vocant, *Metalliones* primis Auguſtorum temporibus eſſent prorſus Romanis ignoti, nec niſi prope ad Gordiani Pii aetatem cudi ceperint.

Sunt delicta tamen, quibus ignoviſſe velimus.

Illud magis mirandum videtur, Weidnerum, hominem in Germania natum, educatumque, qui nummi ejuſmodi antiquitatem propugnat [2], in patria quaſi peregrinari, & quo primum loco apud ſuos Germanos haec cimelia condita fuerint, prorſus ignorare. Sed nihil eſt, quod majorem rebus omnibus offundat caliginem, & veritati inveniendae viam ſic intercipiat, quam ſi quis partium ſtudioſe abripi ſinat, & praeconceptae opinioni tenacius inhaerens, ab errore ſe revocare detrectet. Porro ſi concertationum, quae hoc ipſo ſaeculo inter eruditos exarſere, memoriam replicabis, facile tibi in mentem veniet, quot turbas, diſſenſioneſque opinionum excierit nummus Anniae Fauſtinae a Raphaneotis ſub Praetore Cyrino percuſſus, ΕΠΙ ΣΤΡ. ΚΥΡΙΝΩ ΡΑΦΑΝΕΩΤΩΝ, ab egregio typario Michaele d'Arvieux conflatus. Lutetiam uſque delatus, in manus Clar. Chamillardi devenit, qui ratus monumentum oppido inſigne ſibi eſſe oblatum, confeſtim cum Harduino ſuo communicavit, ejuſque auctoritate, dictione, teſtimonio fidenti utens animo, illud non comparavit modo, ſuoque adjecit muſeo, ſed etiam in publicum emiſit, primo quidem in Diario Trevoltienſi menſis Octobris anno cIↄIↄccvI, deinde in collectione ſuarum Diſſertationum [3]. Nihil in eo ſuſpicatus falſimonii Italus noſter do-

1 *Lettere di Apoſtolo Zeno. To. III. lett.* CCLXXVI. ad Cl. Oliverium.

2 Johann. Weidneri *Pietas in nummis num. 1. Jenae* 1694.

3 *Diſſertations du Pere Etienne Chamillart ſur pleuſieurs Medailles Diſſert. VI. à Paris* 1711.

ctiſſimus, Adrienſium Epiſcopus Philippus a Turre, in epiſtola ad Aſtorium, inſerta Ephemeridis Litterariis Italiae *Tomo* IV. *Articolo* XVI. *pag.* 360. an. cIↄIↄccx. a Chamillardi judicio nihil diſſentit. At Virginius Valſechius, popularis tuus, qui *viderat aliquando plumbeos typos, quorum ope praedictus nummus conflatus fuerat* [1], haud ſibi imperare potuit, ut inconſulto in illos obſequio, veritati non litaret, fraudemque palam minime detegeret. Porro *ut neceſſe eſt lancem in libra, ponderibus impoſitis, deprimi, ita animum perſpicuis cedere* [2]. Sed intellige, Roncalle clariſſime, quid valeat animus errore ſemel imbutus, quid nimia ſui fiducia! Harduinus, inquam, nec argumentis flecti ſe, nec teſtibus evinci eſt paſſus, ſed propoſiti ſui tenax admiſſam olim nummi Raphaneotarum ſinceritatem tum in Hiſtoria Auguſta, cum in Diario Trevoltiano Auguſti cIↄIↄccxIII. pugnaciſſime defendit, ſicque Valſechium ceu ignorantem, imperitumque harum rerum traduxit, ut hic novo in libro Harduini argumenta pro virili retundere, nummumque a falſario fuſum Salvinii, Averanii, Bianchi teſtimonio invicte docere coactus ſit [3]. Verum non praeterit te, ſummum litteratum Harduinum ſaepenumero contentionis, quam veritatis fuiſſe cupidiorem, iiſque annumerandum, quibus

. . . . nec tam
Turpe fuit vinci, quam contendiſſe decorum.

Quid dicam jam de Jacobo Martinio, qui nimium ſemper ſibi ſumens, & ſubtilitati ſuae, variaeque lectioni plus aequo tribuens de quavis antiquitate judicium liberrime proferre auſus eſt? Is quidem inter ceteras ἀλογιςίας, quibus illius ſcatent libri, recentiſſimo quodam, vulgari, inelegantique numiſmate, cui novitio prorſus ſcalpro, nec certe ab antiqua ulla moneta ducto exemplo, ſed omnino moroſe eques enſe falcato exerto diſcurrens, detruncataque humana capita inſculpta ſunt, reſtauratum Meſſeniorum imperium, Joviſque Itho-

1 *De Marci Antonini Elagabali Tribunitia Poteſtate V. Florent.* 1711.
2 Cicero *Academic. QQ. IV.*
3 *De initio imperii Severi Alexandri cap.* x. *Florent.* 1715.

Digitized by Google

Ithomatii ſacrificium referri, tanta verborum ambage nititur probare [1], ut vere Terentianum illud uſurpare fas ſit: magno conatu magnas nugas dixit. Similibus, pene dixerim, παραδόξοις, ineptiiſque tota concluditur excogitata ab Hekelio explicatio duorum numiſmatum Coſtantini M., quorum alter aureuſpoſt acceptum a piiſſimo Imperatore baptiſmum, alter argenteus, quum imperium ſupremo ſuae vitae anno filiis partitus eſſet, ſignatus fingitur [2]. Sed ſatis multa, vel plura potius, quam neceſſe fuit, de his, qui quamvis acri, & intelligenti judicio pollerent, ac cultioribus diſciplinis inſtructi eſſent, minus tamen hujus artis experientes, dubia pro certis, falſa pro veris habuerunt.

Alterum eſt, in quo hi homines turpiter decipi, hallucinari, errare ſolent: nimirum interpretationes quandoque comminiſcuntur, quas nihil virium, nihilque firmamenti habere parvo negotio cognoſcet quiſque uſu leviter doctus, & in tractandis numiſmatis perpaullulum verſatus. Et vero nemo hanc laudem detrahet Goezio, Obrectho, Eccardo, fuiſſe viros rectiſſimis ſtudiis praeditos, multiplicique munitos eruditione;

 ſed

1 *Explication de divers Monuments ſinguliers, qui ont rapport a la Religion des plus anciens peuples. Retabliſſement des Meſſeniens, Medaillon rare, & curieux pag. 65. à Paris* 1739. Jacobus Martinius Ord. S. B. ut magnis inimicitiis inclareſceret, magna nomina Maffejum, Muratorium, Gorium, Valarſium &c. hoc in libro qua maledictis, qua ſcommatis proſcidit, ac laceſſivit. Quamquam iracundam, & aſperam indolem jam prodiderat adverſus ſuos conterraneos. Notiſſima illius epiſtola adverſus quinque Sorbonicos conviciorum pleniſſima, de qua graviſſimae querelae ad ſupremum Ordinis moderatorem delatae fuerunt. *Obſervations ſur les Ecrits modernes, tom. II. à Paris* 1736.

2 Joh. Friderici Hekelii *de nummo Conſtantin. poſt ſuſceptum ſacr. Baptiſma. Dreſdae* 1679. Item *de num. quum imper. filiis partitus eſt. Dreſdae* 1680. Si de noſtrae etiam aetatis nummis hoc loco ſermonem inferre par eſt, emendandus ſane Jobertus, *Science des Medailles Inſtruct. I. edit.* 1739. qui binos nummos Pontificum argenteos, alterum Julii III. GENS ET REGNVM QVOD NON SERVIERIT TIBI, PERIBIT; alterum Paulli II. SOLVM IN FERAS PIVS BELLATOR PASTOR. cuſos affirmat a Catholici nominis hoſtibus ad conflandam Romanis Epiſcopis invidiam. Nam uterque publica auctoritate Romae percuſſus, moneta viva, vulgo *Teſtone*, fuit, nihilque utrique adpoſita epigraphe continet aut a Religione alienum, aut Summis Pontificibus contumelioſum. Poſterior inter probatiſſima monumenta editus eſt ab immortali Card. Quirino, *Vita, & Vindiciae Paulli II. Romae* 1741.

Digitized by Google

ſed quum ad nummos explicandos acceſſerunt, qui fuit rei eventus, laboriſque terminus? Invidia remota dicam; omnem mentem adhibuerunt, diuturnaque ſe defatigarunt diligentia, ut tandem ingenioſa argumentatione a vero prorſus aliena concluderent. An haec ego nimium aut temere, aut maledice exaggerem, tute intelliges. Devenerat in Goezii manus nummus pervulgaris Germanici = SIGNIS RECEPTIS = DEVICTIS GERMANIS = ex Muſeo Ducum Ateſtinorum, vel Gonzagarum, quibus id fuerat ſollemne, & uſitatum, ut nummos, qui in ſuas archaeothecas eſſent inferendi, gentilitio ſtemmate in area ſignarent. Videlicet ferro ignito, & aureo ſuppoſito, ſi nummus erat argenteus, argento, ſi aureus, vel aereus erat nummus, AQVILAM incudebant. Hoc ipſo ſigillo notatus fuerat, qui alpes tranſcendit, & Oſnabrugum uſque pervenerat; ſed inſititium ſtigma ejuſmodi quam belle Goezium decepit! Ecce tibi fidiſſimum nummi exemplar ex Ateſtinis.



Habeto jam quantum re, verboque ineptierit Goezius. *Imago Caeſaris Germanici* (inquit) *dextera aquilam vix conſpicuam, ſiniſtra veſtem levantis, & bacillum (lituum forte) tenentis. Occo legit SIGNIS RECEPTIS, DEVICTIS GERM. Ego puto, SIGNIS RECEPTIS, DEVICIT GERM. Aquila legionis eſt, quam clade Variana amiſſam ipſe recepit* [1]. Plura deinde de aquila Ezechielis, & legionaria, plura de Germaniae Principum inſignibus, & aquila bicipiti ſine delectu conſarcinavit. Quaeſo te, V. CL., qui fieri potuit, ut homo, qui tot numiſmata ſe contrectaſſe gloriabatur, aquilae ſignum, etſi *vix conſpicuum*, nulla

1 M. Zachariae Goezii *de Nummis Diſſertationes* XX. *Diſſertat. V.* §. XXIII. *Vitembergae* 1716.

nulla tamen ſui parte prominens, ſed excavatum nummo coaevum, & uno, eodemque typo, quo Imperatoris effigies, metallo impreſſum putarit? Non illum ab inepta conjectura (quod enim levius huic levitati nomen imponam?) revocavit ipſa aquilae poſitura? An umquam a Romanis ad hunc modum depicta? Sed licuit ſcriptori, qui vexillum militare vel *bacillum*, vel *lituum* dixerat, haec de grata Jovi alite imaginando depromere. Ex hac ſchola paullo ante prodierat Vlricus Obrecthus, qui quum in antiquariorum Republica hoſpes eſſet, neſcio quae Iſiaca myſteria in notiſſimo Domitiani nummo videre ſibi viſus eſt; ſic enim ad Eliam Brakenhofferum ſcribit. *In averſa parte forte dignius uberiore diſquiſitione argumentum exhibetur: figura ſedens, caput galero recta, tunicam induta manicatam, cinguloque correptam, & ad ima veſtigia defluentem, dextera aliquid inſtar cordis portendens, laeva, qua Crucem immiſſam lateri applicat lunae dimidiatae, pede autem ſiniſtro in puppim liburnae innixo* [1]. Vtque haec latius explicet, quanta ex hiſtoricis, imo ex SS. Patribus accumulat! Vniverſa huc advocat, accerſitque Aegyptiorum theologumena, multa de corde, de cruce, de luna nugatur: quot verba, tot ſomnia. Detritus nempe nummus, temporiſque injuria extritus anſam homini inexperto dedit, ut Romae ſedenti *Iſidis* ſymbola appingeret, ac pro galea *galerum*, pro victoriola *corculum*, pro clypeo *lunam*, pro haſta *crucem*, pro hippopodio *puppim* deprehenderet.

Nemo tamen, quam Johannes Georgius Eccardus, hac in re longius a veritatis praeſcriptione aberravit [2]. In nummo Familiae RVBRIAE epigraphen pone caput Neptuni DOS SEN., qua nihil praeter L. Rubrii DOSSENI nomen ſignificari cuivis compertum eſt [3], Eccardus nove, & inuſitate interpretatur, DOS SENATVS, aitque thenſam illam triumphalem, quae in poſtica nummi parte viſitur, Caeſari a Senatu decretam fuiſſe, tamquam hoſtimen-

1 *Diſſert. de Num. Domitiani Iſiaco Argentorati* 1675. Iterum edita inter exercitationes ipſius Academicas 1704.

2 *Epiſtola de Nummis quibuſdam explicatu difficilioribus. Lipſ.* 1722.

3 Doſſenus, nomen in antiquis pervulgatum, ſive, ut Horatius, ait *Dorſenus:* : *Doſſum* enim pro *Dorſo* veteres dixere: *Quantus ſit Dorſenus edacibus in paraſitis.* Horat. *l. II. Ep. ad Aug.*

mentum, compenſationemque laborum, quae quum quaedam quaſi Dos ſit, rectiſſime per illas duas voces Dos. Sen. indicari. Serio ne, an jocans haec ſcripſerit Eccardus, videretur dubitandum, niſi ejuſdem plane eſſent generis, quae ſequuntur interpretationes. Obvius, & frequens eſt Conſtantini nummus, in quo Vrbis aeternae maenia, &, ut Bandurio placet [1], pons Tiberinus, ac Imperatoris caput circumambit inſcriptio, Pop. Romanvs. Quid noſter nummorum *explicatu difficiliorum* interpres? Mirum! litteras ſic immutat, & colligat, ut peregrinum, barbarum, incognitum reddant nomen, Do phonanvs. Quod ſi requiras, unde gentium fuerit hic *Dominus Phonantus*, ſe nec ominando dicere poſſe fatetur. Nihilo felicior tradita ab illo Graecorum numiſmatum interpretatio. Tria potiſſimum in praeſentia proderit expendere.

1 2 3



ΜΑΣΣΑΛΙΗΤΩΝ primus hic argenteus nummulus eſt, nulli nummophilorum non cognitus; in quo probabiliter juvenile Apollinis Delphici caput, ideo a typario expreſſum, quod Maſſaliotae traditum ſibi a Phocenſibus, urbis ſuae conditoribus, hoc ſoſpitale numen ſingulari religione proſequerentur, eique in arce veluti populi cuſtodi, conſervatorique fanum dedicaſſent [2]. Abſurde tamen, contraque opinionem omnium explicat Eccardus: *in avverſa parte ſunt duae lineae in centro ſe ſe interſecantes, & in duabus earum areolis cernitur. M. A., quod indicio eſt faciem eſſe MARCI ANTONII Triumviri, facieſque hic expreſſa convenit exacte cum ceteris Antonii imaginibus, quae in*

1 *Numiſm. Impp. a Trajano Decio ad Palaeologos, tom. II. Conſtantin. tab. V. Pariſiis 1718.*

2 V. quae ex Strabone, Pauſania, Plinioque dixit Harduinus, *Nummi Populor. & Vrbium. Pariſiis 1684.*

Digitized by Google

in majoribus nummis inveniuntur[1]. Verum, quod eſt in proverbio, lecythum cum ſtrophio potius componas, quam hic Antonii lineamenta reperias, aut nummi typum ad illum congrue referas. Alter, qui ſuccedit nummus ΙΣΤΡΙΗΩΝ (pro Ιστριέων Ionice) communi doctorum judicio cenſetur. Fuerat Iſtrus celebris quondam Mileſſiorum Colonia, ut Scymnus Chius, Strabo, Pliniuſque teſtantur, in Moeſia inferiori, non procul ab Iſtri fluminis oſtiis ſita. Ἰστρία πόλις Arriano in periplo dicitur, Ἰστρόπολις Ptolemaeo, *Hiſtriopolis* auctori Tabulae Theodoſianae. Vſitatus urbis illius typus in pecunia ſignanda, duo capita imberbia frontibus adverſis, quibus fortaſſe frequens per Iſtrum κατάπλους, & ἀνάπλους indicatur, per quem ex Ponto Euxino ad urbem, ex urbe ad mare ſubvectis viciſſim mercibus, oppidani plurimum diteſcebant; vel fabuloſus in oppoſita maria Iſtri decurſus; a tergo autem Aquila Delphinum unguibus, roſtroque proſcidens, qua Ιστριέων in proximum mare dominium videtur notari. Atqui Eccardus non modo partis poſticae figuras penitus corrupit, ac deformavit, ſed litteras per craſſum errorem ſic permutavit, ut ex Graeco Latinum nummum fecerit; ita enim habet. *Duo capita juvenilia, quorum unum inverſum eſt, exhibet in una parte; in altera figura pene detrita, quae forte navis fuit, apparet; & ſupra eam legitur* TIIR. *Hoc de* Tyro urbe *expono, navigationibus, & commerciis celebri. Vbi notandum,* Y *per duo* II. *exprimi. Capita Caſtoris, & Pollucis eſſe puto, Deorum navigantibus cultorum. Vnum inverſum eſt, quia unus horum Ledae filiorum mortalis cum eſſet, ambo fratres mutuo ſe amantes, id demum impetraſſe ferebantur, ut alternatim unus inter Deos eſſet, alter vero cum defunctis verſaretur. Mortalem itaque caput inverſum exprimit. Monteſalconius hujuſmodi figuram Dioſcurorum neſcivit, nec alibi me eam obſervaſſe memini; unde eo rarior hic nummulus habendus eſt*[2]. Quis tam aliena, tam abſurda, tam falſa concoquat? Dabo quidem, in fabulis eſſe, Pollucem occiſo Caſtori ſupeſtitem ab Jove optionem cepiſſe, ut ſolus immortalitatem indipiſceretur, aut eam ita cum fratre communicaret, ut certis intervallis alter oriretur, dum alter occideret;

Sic

1 *Loc. cit.* 2 *Loc. cit.*

Sic fratrem Pollux alterna morte redemit;
Itque, reditque viam toties ....

Dabo a navigantibus, utrumque cultum, ſed nulla hic Dioſcurorum effigies, aut proprietas, aut *ἐπίσημος*[1]; quae omnia ſi adeſſent, nunquam fucatae inſcriptionis *κιβδηλίαν* excuſabunt. Tertium quoque Graecum Hadriani nummulum centies conſpectum, cui aera conſignata eſt conſueto charactere L, *λυκάβας*[2], & notis numeralibus IA., *anno undecimo*, inter Latinos migrare juſſit, nullusque dubitans, Auguſti eſſe dixit, & litteras de more pervertens, pro L. IA. legit II. AV. quibus *Secundum Auguſti imperii annum* putat deſignari[3].

ΠΟΡΙΣΜΑ.

Retexo jam orationem meam. Quum igitur CL. Eccardus, ceterique memorati ſcriptores multa, eaque egregia ingenii, ſapientiaeque ſuae monimenta poſteris reliquerint, illud ex antea demonſtratis neceſſario conſequitur, nummorum dignoſcendorum ſcientiam non tam in doctrina, quam in quotidiano pene uſu, & repetita illorum inſpectione eſſe poſitam. In quo ſi multa tacitus praetermitto, rem tamen eo perduxiſſe mihi videor, ut illud Tullii uſurpare utcumque liceat: *neque omnino eſt ars ulla, in qua omnia, quae in illa arte effici poſſunt, ab uno doctore tradantur; ſed qui primarum rerum genera didicerunt, reliqua non incommode perſequuntur*[4].

SE-

1 Confer Camilli Silveſtri interpretationem poſthumam *in Anaglyphum Graecum cap.* VI., & VII. *de Dioſcuris &c. Romae* 1720.

2 Si quid teſtibus eſt opus, adi inſigne totius Archaeologiae praeſidium, decuſque Eduardum Corſinium. *Notae Graecorum &c. pag.*41. *Florent.* 1749.

3 Adde huc, quod Palladis caput in nummo ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ Alexandri eſſe dixerit. Nummi hujus ſchema nitidiſſimum praefixit illuſtris Mazochius operi, vere aureo, quod inſcribitur: *In Regii Herculanenſis Muſei aeneas Tabulas Heracleenſes Commentarii. Pars I. Neapoli* 1756.

4 Cicero *de Oratore II.*

SECTIO NONA.

Varia antiquariorum judicia de Tetragonis *incuſis, quae in vetuſtiſſimis Graecarum urbium nummis viſuntur. Wildii, Begeri, Witzlebenii, aliorumque opinio rejecta. Recens de illis Cl. Barthelemy ſyſtema proponitur, fuſius explicatur, noviſque argumentis conſtabilitur. Praeſtantiora quaedam numiſmata anecdota ex lectiſſimo muſeo Marchionis Ant. Savorgnani cavo quadriformi ſignata proferuntur, & illuſtrantur. Actium omnium fortunarum, laudumque MARCO ANTONIO terminus. Nomen ipſius e publicis monumentis quandonam eraſum. Medici prae ceteris jamdudum antiquitatibus colligendis, interpretandiſque dediti.*

SED in noſtrae hujus etiam aetatis intuens ſcriptores, qui ſunt ſtudiis optimis dediti, & Graecis, Latiniſque litteris docti, occurrit Fridericus Sigiſmundus Witzlebenius, qui, ut ipſe perhibet, vigintiſeptem annis huic arti, & antiquis numiſmatis contemplandis, explicandiſque operam, curamque impendit [1]. At fortaſſe harum rerum inopia moram, & impedimentum homini erudito injecit, ne tantum in his litteris proficeret, quantum excellenti ingenio, diligentiaque conſequi potuiſſet. Inter cetera vulgavit ille argenteum Delphorum nummum, in cujus anteriore parte cernitur *Capra*, placide cubans, ſuperſcriptis litteris, uno nexu vinctis ΔE; in poſteriore vero rudi artificio *Tetragonum* circulo inſcriptum, & ad angulos rectos in quatuor aequales partes ſectum [2]. Quandoquidem vero eruditi homines hoc ſymbolum, quod pluries in Graecarum urbium nummis conſpicitur, varie fuerant interpretati, & alii Peloponneſi diviſionem [3], alii Syracuſarum formam, quae quatuor maximis urbibus conſtare videbatur [4], alii alia ad hanc rem attulerant, anim-

1 In Praefatione ad librum *Selecta quaedam Numiſmata Graeca inedita hactenus, nunc vero explicata a M. Friderico Sigiſm. Witzleben. Lipſiae* 1754.

2 *Diſſertatio prima de num. antiquiſs. Delphiorum.*

3 Begerus *Theſaur. Brandeburg. T.* I. *num. Peloponn. Coloniae Marchicae* 1696. Wilde *Selecta Numiſmata antiqua Tab. nona. LI. LII. Amſtelodami* 1692.

4 Begerus *lib. cit. de num. Siciliae.*

advertit Witzlebenius, aliquid ſibi etiam eſſe cogitandum, quod cum celeberrimae illius civitatis proprietatibus apprime congrueret. Quamobrem Delphici Oraculi ſpelaeum hoc loco exhiberi opinatus eſt. Sed peracutius vidiſſe, multoque verius de ejuſmodi tetragonis diſputaſſe mihi viſus eſt Chriſtianiſſimi Regis Nummophilax Jacobus Barthelemy [1], homo ſumme ingenioſus, ac ſummopere exercitatus, atque liberalibus quibuſvis diſciplinis abunde excultus, cujus judicio ſtare malo, quam aliorum. Comparatis inter ſe ſe, ſtudioſeque collatis innumeris hujus typi nummis, facile ille conjecit, deprehenditque, quadriformes cavos illos, quos averſa vetuſtiſſimorum numiſmatum pars oſtentat, nihil eſſe, niſi prima artis monetariae adhuc naſcentis, & impolitae primordia. Nam quum nihil ſit, ut Cicero dixit, quod ſe totum repente evolvat, ſed natura levibus contenta principiis in qualibet arte ſemina, ac quaſi rudimenta poſuerit, eaque hominum induſtriae excolenda, atque abſolvenda commiſerit; initio quidem artifices ignari, qua ratione pecuniam utrinque ferirent, quin typum inferiorem confunderent, opuſque jam exactum vitiarent, rem craſſe pertentabant. Orbiculare metalli fruſtum incudi, vel potius retinaculo quadrato, & ad angulos aliquantum cuſpidato applicabant, malleoque immittebant. Quo fiebat, ut dum violenta, ac repetita tutidis percuſſione parti obverſae metalli typus excuderetur, retinaculum ſuo niſu averſae infigeretur, duplicique hac compreſſione, & contrario typi, & retinaculi impulſu, illius quidem figura exſtans, & prominens appareret, hujus vero cava, & incuſa. Id ipſum in nummo Delphorum neceſſario evenit, cujus tetragonon eſſe *plane depreſſum* [2] Witzlebenius fatetur.

Sed haec artis monetalis exordia, & quaſi incunabula repetens, illud etiam velim, obſervate, curioſeque animadvertas, quemadmodum continuata quadam progreſſione ars increbuerit, & novis, ſibique ſuccedentibus additamentis paullatim aucta ſit, ac tandem perfecta evaſerit. Indocti fabricatores primo incudem nonniſi decuſſi, punctis, triangulis *ἀνισομέτροις*, aut pluribus

1 *Memoires de l'Academie Royale des Inſcriptions & belles lettres T. XXIV. pag. 30. à Paris 1756. Eſſai d'une Palegraphie Numiſmatique.*

2 *Lib. cit. pag. 9.*

ribus lineis varie concurrentibus, aut *μλωίσκοις* diſtinxiſſe videntur. Leviuſculam deinde aliquam exornationem areae quadriangulae inſculpſerunt, ut in nummis ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ, ΔΙΡΡΑΧΗΝΩΝ, ΒΙΣΑΛΤΙΩΝ, ΔΡΕΠΑΝΩΝ, ΛΕΟΝΤΙΝΩΝ, ΑΚΑΝΘΙΩΝ, ΠΥΛΙΩΝ &c. Proceſſu aetatis typothetae facti aliquanto peritiores, intra tetragoni latera ſymbola aliquot addidere, quibus unius urbis moneta ab altera diſtingueretur; nuſquam tamen aream illam quadratam emblematis, aut litteris prorſus obtegerunt, verentes, ut, ſi qua pars ſuppoſitae incudis non foret dentata, metallum applicatum elaberetur, aut figurae contuſae evaneſcerent. Ita ſuis nummis retento ſemper eodem tetragono, introſculpſerunt Aeginenſes *delphinum* [1], Aenienſes *capram* [2], Amphipolitae *fontem* [3], Athenienſes *noctuam* [4], Argivi, & Aradiani *alpha* [5], Cariſtii *gallum* [6], Cerinthii [7], & Cyziceni [8] *leonem*, Itani *aquilam* [9], Methymnei [10], Mamertini [11], Syracuſii [12] *humanum caput*, Cranii *delta* [13], Pharſali *equum* [14] Erythraei *florem* [15] Tenii *tridentem*, vel *tau* [16] Thaſii *ſagittarium* [17] &c. donec labore, perclitatione, ſolertia ars haec ab humili venit ad ſummum, & pecuniae cuſores, imprimiſque Siculi, dimiſſo tandem retinaculo quadrato, didicerunt utramque metalli faciem ſuo typo libere obſignare. Hanc veriſſimam quadratorum originem, haec ſucceſſiva artis monetariae incrementa, hunc primum cujuſvis officinae Graecarum urbium typum fuiſſe, ſepoſita omni neceſſitudine, quam in me Cl. Barthelemy officia, vel merita potius ſummam effecerunt, confirmavit non ſolum mihi, ſed etiam perſuaſit eximia, praeſtanſque illius *Numiſ-*

 matica

1 *Muſeum. Ampliſſ. Senatoris Veneti Antonii Savorgnani.*

2 *Mortaye hiſtor. Itiner. II.* 739.

3 *Muſeum Regis Chriſtianiſſimi.* Barthelemy *loc. cit. plance num.* 12.

4 *Muſeum N. V. Bernardi Nani Senat. Veneti.*

5 *Muſ. Savorgnan. & Nani.*

6 *Muſeum Regium Pariſien.*

7 Goltzius *Inſulae* &c. *Muſeum Joſ. Pancratii.*

8 *Muſeum Savorgnan.*

9 Liebe *Gotha nummaria cap.* V. *num.* XXII. *Ameſt.* 1730. Item *Muſ. Savorgnan.*

10 Liebe *lib. cit cap.* V. *num.* XXIX.

11 Paruta, Havercamp. &c. *Muſeum Principis Biſcari Catanae.*

12 *Muſeum Canonici Perezii V. Cl. item Pembrokii.*

13 *Muſeum Vindobon. Tab.* IX. *n.* 7.

14 Haym. *Theſaur. Brit.* II. 156.

15 *Muſeum Vindobon. Tab.* VIII. *num.* 24.

16 *Muſeum Savorgn. & Nani.*


17 *Muſeum Savorgnani.*

Digitized by Google

matica Palaeographia. Verum hunc aditum laudis fatebere, Vir Cl., his tantum patere, quibus datum eſt infinitos cujuſvis generis nummos doctis oculis intueri, aſſidua verſare manu, longaque exercitatione conferre, atque recenſere.

Vt autem in rem penitius deſcendas, eamque momento ſuo ponderare valeas, praeſtantiora quaedam numiſmata ex Muſeo illuſtris Veneti, Patricii Antonii Marchionis Savorgnani, cavo quadriformi diſtincta heic adponere, tibique ſpectanda objicere deliberavi. At dum ego Savorgnanvm nomino, non es inſciens, mi Roncalle, qualem virum appellem, quantumque huic deferam. Nam quidni & obſervantia, & cultu, omnique amicitia proſequar ampliſſimum Senatorem, in quo egregias dotes, quaſique effigiem conſpicio ſummi, ac ſingularis illius hominis M. Terentii Varronis, qui quum ad avitam nobilitatem virtutes omnes adjunxiſſet, quibus & naturae jura foventur, & hominum ſocietas continetur, ne dum Quaeſturam, & Tribunatum, aliaque conſpicua Reipublicae munia obtinuit, ſed ſanctiſſimus, integerrimuſque vir a Tullio eſt appellatus? Et quoniam augeri amicitiam neceſſe eſt, ſi paria ſint ſtudia, ſimileſque voluntatis inclinationes, eccui majora hominis amantiſſimi officia debeo, quam Savorgnano ſpectatiſſimo, veteribus monumentis colligendis, & quovis pretio comparandis ſic jugiter dedito, ut in hoc etiam Varronis laudes adaequarit, qui Ciceroni, Gellio, Fabioque diligentiſſimus inveſtigator antiquitatum dicebatur? Quod ſi confirmatur amor non tam neceſſitudine adjuncta, quam beneficio accepto, neſcio qui me prae hoc viro liberaliori munificentia obligarit, quum nullo non tempore praedivitis muſei ſui mihi copiam fecerit, meiſque ſtudiis juvandis inſignem illam ſuam antiquatum ſupellectilem plane mihi patere voluerit. Porro dum haec vix meditarer, ſupra triginta ille extemplo miſit vetuſtiſſima numiſmata, tetragono inſignita: ex quibus anecdota delegi, quae in praeſentia aggredior explicare, ut ea nobiliſſimo poſſeſſori beneficii memor, quaſi ornatiora reſtituam, interim vero ſuſceptam tractationem opportune confirmem, tibique de re nummaria plura roganti adhuc uberius ſatisfaciam.

Nvm.



Digitized by Google

Nvm. I.

Primus hic majoris moduli nummus typo, emblematis, antiquitate, forma, pondere inter Syracuſios ſummo, ac primario loco habendus. *Triquetrae* ſigillum, quo depreſſum, cavumque quadrum trifariam ſecatur, tam rudi, & impolito opere redditum eſt, ut artem monetariam adhuc naſcentem, temporiſque longinquitatem evidenti ſane, certoque indicio agnoſcas.

> *Τϱινακίη δ' —— ὑπὲρ πέδον Αὐσονίηων*
> *Ἐκτέταται, πλευρῇσιν ἐπὶ τρισὶν ἑστηκυῖα.*
> *Trinacia autem —— ſuper ſolum Auſonum*
> *Extenta eſt, latera ſuper tria fulta;*

quemadmodum Dionyſius Afer cecinit in periegeſi [1]. Sicani idcirco omnes ſuis monumentis, ac denariis τὸ τϱίσκελον jugiter ſculpſerunt, tamquam gentis γνώρισμα, & inſulae τϱινία, ſive τϱιλόχινος inſigne. Vbi tria crura concurrunt, ac nectuntur, varia Deorum capita, ab artificibus deinde addita ſunt, ſpicae etiam interjectae, quibus grata domus Cereri abundare gloriabatur. At in noſtro numiſmate nihil niſi ipſum nudum τϱίσκελον, ſine ulla exornatione, aut umbra, craſſiore Minerva, ut aetas illa vetuſtiſſima ferebat, in tetragono delineatum. Operis vetuſtatem prodit ſimiliter alterius orbis figura. Nam etſi ludi currulis ſpecies ſe ſe objiciat, nulla hic biga, aut triga, aut tethrippus, quorum in ſacris certaminibus tam frequens eſt mentio, ſed ſimplex *ἀπήνη ἡμιονικὴ*, *rheda mularis*, quam primum antiquiſſimis populis uſitatam, ex Homero liberalium diſciplinarum, & hiſtoriarum parente condiſcimus, ubi de curru, quem ſplendidiſſimis donis onuſtum redimendo Hectoris corpori ad Achillem miſit Priamus [2].

'Ex

1 *De ſitu Orbis* edit. Londini 1658. Confer quae habet Euſtathius in Comment. ad Perjegeſim verſ. Politi *p.* 250. *Coloniae Allobrogum* 1741.

2 *Iliad.* Ω *verſ.* 267. 278. Mularem hunc currum una cum altero equino repraeſentari cenſuit Cl. Venutus in in poſtica parte elaboratiſſimi Cenotaphii Muſei Capitolini, cujus univerſa emblemata de Homeri teſtimonio expli-

> 'Ἐκ μὲν ἅμαξαν ἄειραν εὔτροχον ἡμιονέαν.
> *Currum quidem eduxerunt bene rotatum mulinum*

Rurſus,

> Ζεῦξαν δ' ἡμιόνους κραταιρώνυχας ἐντεσιέργους.
> *Conjunxeruntque mulos fortiter ungulatos, ſubjugales.*

In circum deinde migravit hic currus, quum ſpectacula populo darentur, receptuſque ſollemniter inter alia ſacrorum certaminum genera Olympiade LXX. Quo fortaſſe factum, ut quoniam ante id temporis nullo publico decreto mulae in ſtadium irruperant, a Pauſania in priori Eliacorum libro hic mos neque elegans, neque priſcus dicatur. Omnino aliter ſtatuendum, innuit Feſtus Pompejus *lib.* II. qui ludorum Conſualium apparatum deſcribens, haec habet: *Mulis celebrabantur ludi in Circo maximo Conſuales, quia id genus quadrupedum primum putatur caeptum currui, vehiculoque adjungi.* Syracuſae itaque quum ludorum agonalium non modo ſplendore, & diligentia, ſed varietate delectarentur, licet generoſis, & pernicibus equis, maximeque Agrigentinis [1] abundarent, mulas etiam olympico pulvere ſordidari voluerunt, hacque primaeva, vereque priſca rheda uſae ſunt. Atqui hactenus niſi δίφρος mularis, quod ſciam, in Syracuſiorum denariis obtulit ſe ſe; quo uno ciſii genere Hieronem viciſſe, ex ipſius nummis [2] manifeſtum puto, & Hierone imperante, Ageſiam Syracuſanum Soſiſtrati filium *vehiculo mulari* bijugi palmam omnibus praeripuiſſe, argumento eſt ſexta Pindari ode [3], στροφὴ β. quae incipit:

ὦ Φίν-

plicavit ſingulari libello, quem inſcripſit, dedicavitque ingenioſiſſimae, & rariſſimi exempli Matronae. *Spiegazione de' Baſſirilievi dell' urna detta di Aleſſandro Severo nel Muſeo Capitolino. Roma 1756.*

1 Mira Equorum Siculorum celeritas, eorumque circenſes victoriae memorantur non ſemel ab Oppiano, Pindaro, Athenaeo &c. Agrigentini inter illos celeberrimi, teſte Diodoro lib. XIII. Multa ad hanc rem egregie adnotavit cultiſſimus Polyhiſtor Dominicus Schiavo, *Spiegazione d' alcuni monumenti ſcoverti nella Città di Girgenti*, inſerta operi: *Memorie per ſervire alla Storia Letteraria di Sicilia tom. II. par. VI. pag. 374. Palermo 1756.*

2 Paruta *Tab.* XX. *num.* XII. Spanhemius de V. & P. *To.* I. *Diſſert.* VIII. *pag.* 551.

3 ΟΛΥΜΠΙΑ. *Salmurii* 1620.

ὦ Φίντις, ἀλλὰ ζεῦξον ἤ-
δη μοὶ σθένος ἡμιόνων
ᾗ τάχος &c.
Sed, o Phinti, junge jam
Mihi robur mularum
Quam celerrime &c.

Noſtro tamen in nummo unicus eſt *ἡμίονος*, qui rhedam trahit: quo primum hujus ludi tentamen, & ſimplicior illius exercitatio exprimi videtur; celete enim, antequam biga, vel tethrippo, natura duce, ac magiſtra, fuiſſe certatum, nil eſt cur dubitetur. Si ergo hoc alterum vetuſtatis indicium ceteris adjunxeris, id mihi aſſenties, nummum hunc in numero antiquiſſimorum eſſe ponendum, & veroſimiliter ante Gelonem Syracuſis percuſſum. Quid denique rude illud ciſii ſedile male cancellatum, nulla ſui parte incurvum, nulla inciſura diſtinctum, & axi rectâ impoſitum? Quid rotae minime radiatae, ſed tranſverſis lignis compactae, quales poſt Trojana tempora & priſcis Etruriae populis uſitatae? Quid muli collare multiplici gyro ad armos uſque laxe defluens? Quid auriga ipſe non alacer erectus, ſed totus conſidens? Annon haec omnia docent ad remotiſſima Sicanorum tempora nummum eſſe referendum? Ne autem ambigas, nobilem Olympionicum hic repraeſentari, licet nulla deſuper volitet victoria, laureamque protendat, ſtat *Palma* non in ſcammatis, ſed in medio ſtadii poſita, & victori praeparata. Quod autem ſuperne ſculptum viſitur, *Clypeum*, aut *Diſcum* cenſeri oportere non inficiaberis. Duplex fuit in Graecorum certaminibus clypeorum uſus. Quum Junonis Argivae agon quinquennalis ageretur, loco arduo, & pene inacceſſo clypeus clavo infigebatur, ut eſſet ſublatu difficilis; qui deinde dabatur illi, qui primus valida manu evulſiſſet, ideoque Pindaro dictus Ἀγὼν χαλκεῖος [1]. Celebrantur autem in hujus Lyricorum principis carminibus tamquam fortiſſimi victores Diagoras, & Epharmoſtus, qui clypeum in Argis abduxerant; tantamque gloriam

 adipi-

1 NEMEA. Ὠδῃ I.

adipiſci putabantur, ut victorum nomen ad perennitatem marmoribus etiam conſignatum videamus. Ita in Arundelliano laudatur Cajus Antonius Septimius, qui

ΝΙΚΗΕΑΣ ΤΗΝ ΕΞ ΑΡΓΟΝΕ ΑΣΠΙΔΑ.

Victor ex Argivis Clypeum retulit [1]. In Farneſio Hermodorus, qui vicit

ΤΗΝ ΑΣΠΙΔΑ ΗΡΑΣ.

Clypeum Junonis [2]. Plura, ſi haec ſcribendi locus eſſet, ſuppeditaret dicenda Blaſius Caryophilus in eruditiſſimo opere de *Veterum Clypeis* [3]. Sed noſtro in nummo Clypeus profecto non ita collocatus, ut ab auriga in decurſione evelleretur. Quamobrem potius hic appoſitus inter cetera praemia, quae Hieronicarum *δόσις* complectebatur: iis enim poſt emenſum feliciter ſtadium, praeter coronas, tripodes, torques, veſtes, phialas, lebetes etiam *clypeos* dari conſueviſſe, habes copioſe apud Petrum Fabrum [4]. Verum mihi eſt multo probabilius, *Diſcum* hic exhiberi veteri more Graecanico, quo Syracuſii certe vivebant. Fuit illud Eleaeis communi uſu receptum, ut in palaeſtra diſcus affigeretur, cui ab Helladonicis indictio, tempus, modusque certaminum in orbem deſcribebatur: cujus quidem moris originem ab Iphito, Lycurgo, & Cleoſthene eſſe repetendam, monent fragmenta Phlegontis Tralliani [5]. Huc certe pertinere puto ea Papinii Statii carmina in deſcriptione certaminum, qui a Danais habiti fuerunt in exequiis Archemori Lycurgi, & Euridicis filii, ubi poſt adeptam in circo a Phlegya, & Meneſtheo victoriam, inquit [6],

. . . . conceſſit cetera pubes
Sponte, & adorato redit illa ingloria DISCO.

Quae

1 *Marmora Oxonienſia* MCCCCLXV.
2 Gruterus CCCXXIV. I.
3 Vide fol. 90. & ſequ. librum collaudavimus jam pag. 40. not. 1.
4 *Agnoſticon l. II. c. IX. Lugd.* 1692.
5 Apud Gronovium *antiquit. Graec. Tom. IX.*
6 *Thebaidos lib. VI.* edit. Lindenbruchi. *Pariſiis* 1600.

Digitized by Google

Quae profecto non videntur accipienda de orbe aeneo, aut lapideo, qui a dioſcobulis jaciebatur, cuique nulla certe reverentia erat adhibenda, ſed de diſco a Gymnaſiarchis palam propoſito, quem Athletae recedentes, proni conſalutabant, quaſi miſſionem flagitantes. Ex his ergo conjectare licet, hunc gymnicum diſcum in noſtro numiſmate indicari, quem in ſtadio Syracuſano quondam obtinuiſſe, vero perquamſimillimum eſt. Quum autem nec litteram unam in toto nummo pinxerit typarius, mirum minime eſt, ſi neque elementum in diſco expreſſit, quo illius uſus demonſtraretur. Sequutis temporibus in Syracuſarum Regum nummis deſuper bigas, aut tethrippos non diſcus, ſed *ſtella* comparet; qua aut metalli maſſam, & flaturam, aut monetae praeſtantiam, aut felix, laetumque augurium denotari, praeeunte doctiſſimo Paſſerio [1], libens affirmavero. Reſtat modo, ut de hujus praeclariſſimi monumenti pondere, ac valore curſim dicam. Equidem nonnullos inter Sicilienſes vidi, praecipue Agathoclis, inſigni craſſitie, ſed nullus ad hunc diem mihi oblatus eſt, qui ſiliquas (*Carati*) cxcv. pondere ſuo adaequet: hoc igitur etiam nomine maximi faciendus. Quae omnia quum animo attendo, mecumque reputo, nummum hunc aut veterrimam Syracuſarum, vel potius totius Trinaciae monetam fuiſſe decerno, aut conflatum, ut in ludis agonalibus, quum primum edi coeperunt, Hieronicis ſtrenuiſſimis praemii loco daretur.

NUM. II.

Nihil dubito, legendum ΟΣΣΙΩΜ pro Ὄσσιων; quamvis enim Auſonius dixerit:

Vocibus in Graiis numquam ultima conſpicior M;

monumenta aliquot vetuſtiſſima in apricum aetas protulit, in quibus loco litterae N, quae pro conſueta Graecae linguae ratione videbatur ſcribenda, altera M ſuffecta eſt. Nam, ne quid

1 V. *Prolegomena ad Theſaurum Gemmar. Aſtriferarum num. II. Florantiae* 1750.

dicam de Foedere Smyrnaeorum cum Seleuco Callinico, quod inter *Marmora Oxonienſia*[1] lucem adſpexit, ubi articuli praepoſitivi τὴν, & τῶν pluries ſic afferuntur THM, & TΩM, exſtat *Tyleos*, Thraciae urbis prope Haemum, nummus, nomine ita circumſcripto TYΛIΣIΩM[2]; ut neque nova, neque inſolens Oſſiorum orthographia dicenda ſit. Quemadmodum etiam apud Clar. Maffejum *Obſervationum Litterar. Vol.* v. monetae Rheginorum, & Lucanorum, vetere, & adhuc barbara ἐκφωνήσεσι, qua verba in ων deſinentia, per ομ pronunciabantur, inſcriptum legitur PHΓINOM, & ΛΟΥΚΑΝΟΜ. Jam vero recenſentur a Ptolemaeo in regione Βισαλτίας, ultima Macedoniae, oppida nonnulla, inter quae eſt *OSSA*[3], cui etſi exigua admodum fuerit laus, & celebritas, jus tamen feriendae monetae ob nullam rerum geſtarum memoriam immerito ſane denegaretur, quum infiniti pene ſint nummi ſignati in urbibus, quarum in hiſtoricis, aut chorographis nihil praeter nomen reperies. *Biſaltas* eam Macedoniae partem, quae ad occiduam ſolis plagam vergit, incoluiſſe tradunt Thucydides *lib.* II. & Stephanus Byzantinus, ſed Conon veterrimus ſcriptor in excerptis Photii Cod. CLXXXVI. enumerat potius inter Thracas trans Styrmonem. *Οἱ βισάλται. Θρᾳκικὸν ἔθνος*, *Biſaltae Thracica gens*[4]. Vt ut ſit, *fortiſſimos viros* illos appellat Livius[5]; idcirco *Oſſii*, qui & Biſaltae, apte, accomodateque huic nummo equum, & adſtantem cum jaculo militem inſculpi mandarunt, galea, Macedonicae, Thracicaeve virtutis inſigni, pone depicta.

NVM. III.

Priuſquam cetera explico, illud ex hiulca epigraphe, evanidiſque pene characteribus elici oportere video, ad quam vere Vrbem hic pertineat nummus. Ac ex litteris, quae adhuc ſuperſunt, niſi omnia me fallunt, nomen conflatur AAPIΣΣΑλιων. In quo duo antiquiſſima Graecanici idiomatis elementa prae oculis obverſantur, R, & Z, quibus officinae monetariae

1 Primum, quod in opere occurrit marmor.

2 *Gotha Nummaria cap.* v. *nu.* XL.

3 V. Cellarium. *Geograph. ant. To.* I. *lib.* II. *cap.* XIII. *ſect.* II. *Lipſ.* 1731.

4 *Cap.* XX. *edit. Rotomagi* 1653.

5 *Lib.* XLV. *cap.* 30.

riae Lariſſaeorum vetuſtas manifeſto proditur. Sane primam litteram ʞ prope ad Latinae formam exaratam jamdudum vidimus in inſcriptione Nointeliana, & Herodis Attici [1], in marmore Bimardiano [2], itemque in denariis Syracuſiorum [3], Agrigentinorum [4], & Phaereorum [5]; alteram vero ⲭ in lapide Sigo [6], ac Bimardiano, nunc autem primum in nummis [7]. Vtraque ducta eſt ex priſco alphabeto Jonico, vel potius Pelaſgico, quo Graeci ante Calliſtratum Samium utebantur [8]. At quoniam hocce *Lariſſae* nomen pluribus certe civitatibus adhaeſit, quaerendum, cui potiſſime nummus ſit tribuendus. Duplex in Theſſalia fuit Lariſſa, altera juxta Peneum ab Acriſio condita, altera in confinio Macedoniae. Rurſus duplex in Creta, una Pelaſgia a nonnullis dicta, altera Gortyne etiam nuncupata. Fuit & Lariſſa in Italia, quam, referente Diodoro, & Caeſare, Pelaſgi condiderunt. Alia fuit Troadis, cujus Homerus meminit, alia Aeolidis juxta Cumam, alia Syriae, Lydiae alia. Hoc ipſo nomine donabantur parva regio in Oſſa, & Epheſi vicus. Ad Tralles etiam Aſiae eſt alia Lariſſa, alia denique in Pelaſgiotide. Atqui ſi figuras in utraque nummi facie expreſſas ſedulo perpenderis, ſimulque contuleris, in tanta urbium copia, quae ſimili cognominatione appellabantur, reſcies probabiliter, cui merito adſcribas. Ac primum *Jovis Lariſſaei* ſimulacrum hic exhiberi opinor in quadrato ſubſellio, ſeu throno ſedentis, media corporis parte inferne nudi, ad eum plane modum, quo Deumque, hominumque pater, & rex aliis in monumentis effictus conſpicitur, & a poëtis non ſemel deſcribitur. Abſunt equidem cetera Jovis ſymbola, vel loci anguſtia a rudi caelatore praetermiſſa, vel quia pictores, fictoreſque, ut Tullius ani-

1 Montfaucon *Palaeograph. lib. II. cap. IV.*

2 *Theſaur. Nov. Inſcript. Muratorii Tom. I. Prolegomen. Mediolani* 1729.

3 Apud Bianconi *de Antiquis Graecor. litteris pag.* 57. *Bononiae* 1748.

4 Paruta in Agrigento.

5 Gotha Nummaria *c.* V. ſ. XLIII.

6 Chiſull *Antiquit. Aſiaticae &c. pag.* 4. *Londini* 1728.

7 De Graecis nummis loquor; in exoticis enim ita detortum *ſigma* jam innotuerat; ut in nummis Hiſpanicis apud Mahudelium, *Diſſertation ſur les Monnoyes antiques d'Eſpagne par Mahudel à Paris* 1725.

8 Confer, quae egregie adnotarunt Havercampius in II. *Sylloge Scriptor. de linguae Graecae pronuntiatione Lugdun. Batav.* 1740., nuper vero Johannes Reinoldius in *Hiſtoria Graecarum, & Latinarum Litterarum. Lond.* 1752.

Digitized by Google

animadvertit [1], in Deorum figuris conficiendis, in eorum ornatu, ac veſtitu ſumma varietate diſſentiebant. Ad Lariſſaeos ergo, qui in Trallibus commorabantur, hic nummus videretur revocandus. Illud enim a Strabone lib. IX. dictum accepimus. *ἴσως δὲ καὶ ὁ λαρίσσαιος Ζεὺς ἐκεῖθεν ἐπωνόμασται; forſitan autem, & Lariſſaeus Jupiter hinc cognomen aſſumpſit*. At eques haſtatus, militum poſt Homerica tempora praeſeferens habitum, qui in altero nummi orbe viſitur, efficit ſane, ut de Lariſſa Pelaſgiae potius cogitem, quae & Arx fuit munitiſſima Argivorum; eo magis, quod ea urbs a Jove Lariſſaeo non ſolum diligi, ſed etiam incoli, cuſtodirique credebatur, eique fanum in edita civitatis parte dedicatum Pauſanias obſervavit: *ἐπ' ἄκρᾳ δὲ ἐστὶ τῇ λαρίσσῃ, Διὸς ἐπίκλησιν λαρισσαίου, ναὸς, in extrema arce, cui nomen Lariſſa, eſt aedes Jovis Lariſſaei* [2]. Mire ergo conſentiunt hinc Juppiter arcis, urbis, populique cuſtos, ac defenſor, illinc miles quaſi excubias agens, & ad locum propugnandum paratus. Qui hactenus editi ſunt nummi ΛΑΡΙΣΣΑΙΩΝ, ad Theſſalicam proprie pertinent, & equi paſcentis, aut viri taurum domantis effigie diſtincti. Nova igitur nunc prodit novae urbis moneta.

Nvm. IV.

Anceps hic mihi lectio, num AINI*ων*, vel potius, AINI*ανων* ſupplendum ſit; videlicet num ad *Ἄινιον*, vel ad *Ἀινιαν* quartus hic nummus ſit referendus. Equidem *Ἄινος πόλις Θράκης.... τὸ ἐθνικὸν Ἄινιος*, inquit Stephanus [3], quae Anchiſis filium ſui conditorem jactabat, ſi Melae fides: *eximia eſt Aenus, ab Aenea profugo condita* [4]. Eadem in regione *Ἄινεια*, cujus gentile, *Ἀινειὺς*, *Ἀινεάνος*, *Ἀινειάδης*. Eandem huic urbi originem tribuit Dionyſius Halicarnaſſeus in primo Antiquitatum libro [5], cui occinit Virgilius in carminibus.

...feror

1 *De Nat. Deor. lib. I. c. I. & XXIX.* Et, ſi plura eſt opus, adi Burmanni Diſſertatationem ΖΕΥΣ ΚΑΘΑΙΒΑΤΗΣ *cap.* XIII. *Leidae* 1734.

2 *Corinthiaca lib. II. cap.* XXIV.

3 *Ed. Amſteled.* 1678.

4 *De ſitu Orbis lib. II. cap. II. edit. Voſſii Hagae Comit.* 1658.

5 *Ed. Wecheli* 1586.

.........feror huc, & littore curvo
Moenia prima loco, fatis ingreſſus iniquis,
Aeneadaſque meo nomen de nomine fingo.

Variae fuerunt Aeneadum migrationes, atque in his varia oppida condiderunt cognomina: nam modo τοῖς Ἐπικνημιδίοις (*Locris*)[1], modo Αἰτωλοῖς finitimi[2] a Strabone appellantur. Hypatam etiam in Theſſalia eos fabricaſſe non dubito, quam πόλιν Αἰνιάνων vocat Stephanus. Eſt praeterea Αἴνια urbs Perrhaeborum adverſus Pyndam in Macedonia, cujus ἐθνικὸν, Αἰνιὸς, & Αἰνιάνης, &, ut habet Livius, *poſita fertili agro*[3]. Huic ego prae ceteris noſtrum nummum adjudico, *Capri*, *Satyrique* conſpecta imagine. Vtrumque inter Bacchica ſymbola eſſe recenſendum, nota res, & pervulgata.

...... Baccho caper omnibus aris,

ut eſt in Virgiliano hemiſtichio[4]. Quare in caprum ſe admordentem vitis, Baccho ſacra, ita lepide invehitur in epigrammate Leonidae Tarentini. Anthologiae lib. I.

Ῥίζα γὰρ ἔμπεδος οὖσα πάγιγλυκὺ νέκταρ ἀνήσει.
Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι ΤΡΑΓΕ θυομένῳ.
Quoad radix mihi firma haeſerit; reddet dulce nectar,
Quod ad libamen ſatis erit, dum tu, CAPER, immolabere.

Satyri autem, & Aegipanes comites Dionyſio jugiter dati[5], ejuſque ſacrorum adminiſtri, tripudia in illis agentes, cum capris coniſcantes, eoſque ad aram Liberi Patris ridicule adigentes. Jam vero quum ſumma eſſet Macedonum erga Bacchum religio, & gratae, memoriſque mentis propenſio, quod, interempto

1 *Lib.* IX. *edit. Amſtelod.* 1707.
2 *Lib.* I. *ibid.*
3 *Lib.* XLIV. *cap.* X.
4 *Georgic.* II.

5 Lucianus *Dialog.* ΠΕΡΙ ΟΡΧ. *edit. Amſtelod.* 1744. Aelianus ΠΟΙΚΙΛΗΣ ΙΣΤΟΡΙΑΣ *lib.* III. *cap.* XL. *edit. Kunii* 1685. Satyrorum, & Aegipanum imagines,

terempto Lycurgo Thracio, *Macedonem* regem illis dediſſet [1]; congruenter ſingularem hunc cultum regionis illius civitates, populique ſuis in nummis teſtatam voluerunt. Atque inter eos praeſertim Aenienſes numini, auſpicioque illius devoti, eiſdem Dionyſiacis emblematis, capra ſcilicet, & ſatyro, quibus Nyſaei monetarii, Bacchi gentiles, uſi fuerant [2], ſuam pecuniam obſignarunt. Et quoniam nulla erat urbs Aeniae nomine, quae eadem non affectaret vetuſtiſſima primordia, & ab illuſtri Trojano non ſe conditam crederet, plane autumo, virile caput, in cujus pileo, ſingulari exemplo quatuor elementa AINI ..., inciſa ſunt, pro imaginaria Aeneae effigie haberi oportere. Pretium nummo accedit ex nomine magiſtratus, qui nunc primum pateſcit, ΑΝΤΙΑΔΑΣ, iſque Dorice ſcriptus, pro ΑΝΤΙΑΔΗΣ, eodem Doriſmo, quo in marmore Chalcedonenſi Bibliothecae Regiae urbis officia exarata leguntur [3].

NVM.

gines, ut plurimum occurrunt in monumentis Bacchicas pompas referentibus; nihilominus Satyros cum pueris, aut cupidinibus ludentes, amoris currum trahentes, Pani ſacrificantes vidimus in deſcriptione veterum Gemmarum Eq. Ghezii *num.* 41.45.48.49.51. Inter *Cod. Vatic.*, quos memoravimus *pag.* 28.

1 Fuſius haec traduntur a Matthaeo Aegyptio in explicatione *Senatus-Conſulti de Bacchanalibus &c. pag.* 26. *&* 27. *Neapoli* 1729.

2 ΝΥΣΑΕΩΝ nummum cum Caprae, & Satyri effigie habes apud Patinum *in Caracalla. Argentinae* 1661. Cui quidem nummo aſſimilis omnino Sarda theſauri Embermayerani *cap.* VII. *Tab.* XV. *num.* 397. Sunt alii Nyſaeorum nummi Bacchi, & Satyri effigie ſignati V. Triſtanum Sanctamantium *Tom.* II. *pag.* 236.

3 *Recueil d'Antiquitès par Mr. le Comte de Caylus Volum. II. Antiquit. Grec. Marbre de la Bibliotheque du Roi &c. à Paris* 1756. Doctiſſimus Belleyus Ducis Aurelianenſis Antiquarius, noſtraeque Academiae meritiſſimus ſodalis marmora ex Graeco vertit, copioſeque illuſtravit.

Nvm. V.

Etſi cognita jam, compertaque ſit *Phocidenſium*, qui regionem inter Boeotos, & Locros incolebant, moneta, numquam tamen ſtudioſis antehac exhibitus eſt iſte nummus, quem ex muſeo alterius nobiliſſimi, eruditique Veneti Senatoris Bernardi Nani primus exculi. *Φωκίς* quidem inclyta, & celebris non tam Cirrha urbe primaria ad ſinum Corinthiacum, quae fuit navale Delphorum, ſed & in mediterraneis Pythia, Cypariſſo, Helicone, Parnaſſia valle, Corycio nemore, Caſtaliis aquis, pluribuſque Apollinis Phoebi fanis, oraculo, & religione; quorum cauſſa ab Homero, Diodoro, Pindaro, Apollodoro, Strabone, praeſertimque a Pauſania in *Phocicis* ſummis laudibus effertur. Prima nominis elementa ΦΟΚΙ . . . quadrati angulis diviſim appicta, de nummi officina omnem ſubmovent ambiguitatem. Nec nodus pertenditur ullus, quod Cadmea littera O vices gerat alterius in Graeco alphabeto recentioris Ω; hanc enim fuiſſe veterrimam Achivorum orthographiam non modo ex Platone in Cratylo, ſed ex variis nummorum inſcriptionibus [1] manifeſto percipimus. ΦΩΚΕΩΝ quidem ſcriptum lego in nummo Gazae Gothanae [2], eodem pene typo obſignato, ſed ex *Φωκίδι* aeque derivat, alternatque *ὁ πολίτης Φωκεύς*, & *Φωκίδευς*, quemadmodum ex *Φώκαια* Joniae, Athenienſium colonia, *ὁ κάτοικος* eſt *Φωκαιεύς*, & *Φωκαΐτης*. Quamobrem nummus Goltzianus [3] ita praefefert, ΦΩΚΙΔ . . . . Age vero, & de utroque inquiramus jam nummi emblemate. Ecquid autem menti ſuccurret, niſi Delius, Pythiuſque Apollo, dum in Phocide verſaris, quae templis, ſignis, oraculis illius ſic erat affatim dives, ut Apollinea monumenta ante oculos obverſentur, quocumque te animo, cogitationeque converteris? Verum Apollinis ne caput eſſe dicemus, quod crinium plexu, oris mollitudine, ſpecioſa muraenula, totoque habitu femineum eſt? Equidem non ſum neſcius, Apollinem muliebri [4] veſti-

L

1 Spanhem. *de V. & P.N. Diſs.II.*
2 Liebe *cap. v. num.* XLIII.
3 *Graecia*.
4 Schott *Explication novelle de l'Apotheoſe &c. fol. 52. & ſequ.* Vide *pag.* 50. hujus operis.

veſtitu, apparatuque ab antiquis fuiſſe interdum depictum, ut in nummis Auguſti, Neronis, Antonini Pii, Commodi[1], Domitiani[2], Tranquillinae[3]. Sed imagines ejuſmodi conſtanter perornat, atque diſtinguit inſtructa fidibus lyra, vel laurea corona, vel oſcen Phoebeïa, ut actutum Apollinem ipſum agnoſcas. Quamobrem aliam prorſus viam ſibi eſſe ineundam cenſuit Liebeus, qui Pindari, Diodori, Suidaeque auctoritatem ſequutus *Themidem* ibi effigiatam exiſtimavit. Hanc quidem oraculum Delphicum una cum Apolline poſuiſſe, hanc conſulentibus ante Apollinem reſponſa dediſſe, inquit Liebeus, ſic fuerat antiquis perſuaſum, ut Apollo ipſe, quum oracula ederet, Θεμιστεύειν diceretur[4]. Sed ego haud ſcio, an haec, quod erat propoſitum, plane conficiant; non enim in Phocicis, ſed in Boeotis fuit fatidicae Themidis oraculum. Explicationem itaque, ſi placet, aliunde repetamus; & quamvis, teſte Tullio, in rebus, quae conjectura quaeruntur, anceps ſit oratio, plus certe ponderis illa habet, ſi ab his, quae communi quodam vinculo continentur, proficiſcatur. Quum igitur de Phocidenſium rebus ſermo ſit, a gentis illius hiſtoria noſtri nummi interpretatio multo probabilius elicietur. Ecquidni Phemonoes formam, imaginemque hic referri putemus, cujus clarum, & celebratum adeo fuit apud Phocidenſes nomen, decuſque? Praeſto eſt certiſſimus, & locupletiſſimus teſtis Pauſanias, a quo in Phocicis haec expreſſe traduntur. Μεγίστη δὲ, καὶ παρὰ πλείστων ἐς Φημονόην δόξα ἐστιν, ὡς πρόμαντις γένοιτο ἡ Φημονόη τοῦ Θεοῦ πρώτη, καὶ πρώτη τὸ ἑξάμετρον ᾖσε. *Magna vero fuit* (apud Phocidenſes) *nominis laude Phemonoe, quae quum Dei* (Apollinis) *interpres prima fuerit, prima etiam ſenariis longioribus oracula decantabat*[5]. Primariae hujus Apollinis ſacerdotis meminit & Heſiodus in Theogonia: ſunt praeterea inter mythologos, qui illam Phoebi filiam credant[6]. Omnem vaticiniorum, & divinationis ſcientiam, facultatemque

1 Vaillant *Num. Imperat. Graec. pag.* 158. *Amſtelod.* 1700.

2 Cuperus *Numiſmata antiqua explicata pag.* 247. *Amſtelod.* 1683.

3 Schott *ubi ſupra* contra Diſſertationem Otthonis Sperlingii, *ad nummum Furiae Sabinae Tranquillinae Aug. Amſtelod.* 1688.

4 Liebe *loc. cit.*

5 *In Phocicis*.

6 Confer Nicolaum Lloydium, *Dictionar. Hiſtor. Poet. Londini* 1686.

que futura praenunciandi, & obſcure dicta praeſentiendi eidem conceſſere poëtae. Statius in Sylvis[1];

Non mihi ſi cunctos Helicon indulgeat amnes,
Et ſuperet Pimplea ſitim, largeque volantis
Vngula ſedet equi, reſeretque arcana pudicos
PHEMONOE fontes . . . . .

Item Lucanus de bello civili lib. v.

Appius Heſperii ſcrutator ad ultima fati
Sollicitat, juſſus ſedes laxare verendas
Antiſtes, pavidamque Deis immittere vatem,
Caſtalios circum latices, nemorumque receſſus,
PHEMONOEN errore vagam, curiſque vacantem,
Corripuit, cogitque fores irrumpere templi.

Si ergo omnis hujuſce Apollinis *theologae*, *μαντευτῆς* fama, quae tantopere deinde eſt propagata, ex Phocide nata eſt, merito poterant populares de ſua hac heroide gloriari, nummiſque vernaculis illius effigiem inſculpere. Nam ſi unaquaeque natio indigenas oſtentabat heroas, metalloque commendabat, cur non Phocidenſes ſuam Phemonoën?

Reſtat, ut dicam de taurino capite in alia nummi facie expreſſo. Omnia in pauca conferam. Alii ad boves, quos ſaepenumero Apollini mactatos, dedicatoſque legimus, id revocant[2]. Alii inſculptum arbitrantur in memoriam *τῦ βοός χάλκιος bovis aerei*, quem Caryſtii in ipſa Phocide *παρὰ τῷ Ἀπόλλωνι ἔςησαν*, *Apollini ſtatuerunt*[3]. Sed quid, quod in his nummis nuſquam integer taurus, ſed illius tantum caput occurrat? Quid, quod modo vittatum, modo abſque taeniis exhibeatur? Quid tandem, quod in nummo **ΦΩΚΕΩΝ** theſauri Theupoli, *tria capita boum oris junctis*[4] compareant? Qui haec tibi dilucide, probeque interpretabitur, hunc vatem adhibeto maximum.

1 *Lib.* II. *Carmen II.*
2 Liebe.
3 Pauſanias *l. c.*
4 *Nummi Popul. & Vrbium Series VIII.*

ximum. An eſt fortaſſe *Φώκης vituli Marini* imago, ita ut ſit emblema nomini urbis homologum, quemadmodum *Ἀιγείας capra*, *Λυκίας lupus*, *Ἐυβοίας bos*? Rem in medio linquamus; ut enim, auctore Cicerone, eſt ridiculum ad ea, quae certa habemus nihil dicere, ita etiam ea quaerere, ac judicare, quae habere non poſſumus. Aſperrima, & dira Phocenſium fata, decennale bellum, extremumque exitium, quibus de cauſſis, quove tempore acciderint, nihil moror. Nam praeterquam quod nihil id nummis explicandis conferre poteſt, tam accurate, tamque docte contra Scaligeri, Petavii, Palmerii ſententias diſputatum, vel potius demonſtratum eſt in *Faſtis Atticis* [1] a viro ſapientiſſimo, qui Graecae imprimis philologiae parens, ac magiſter his temporibus eſt appellandus, ut nihil ſit, quod amplius deſideres. Ad ceteros Savorgnani noſtri nummos revertamur.

NVM. VI.

Nullus ante Mortaye ΚΑΡΔΙΑΝΩΝ nummos, quos ego quidem noverim, vulgarat. Vnus ab illo in lucem eductus [2], a quo tamen hic noſter plurimum differt. *Καρδίαν χεῤῥονήσου τὴν μεγίστην πόλιν* dixit Demoſthenes in III. Philippica. Memoratur ab Herodoto in Erato, & Polymnia, atque etiam a Scylace Caryadeno in Periplo. Pauſanias in Atticis excidium illius a Lyſimacho Thraciae rege patratum enarrans, inquit: *τὴν Καρδιανῶν πόλιν ἀνελὼν λυσιμαχίαν ἀντ' ἀυτῆς ᾤκισεν ἐπὶ τῷ ἰσθμῷ τῆς Θρακίας χεῤῥονήσου*. *Quum Cardianorum urbem evertiſſet, loco illius Lyſimachiam condidit in Iſthmo Cherſoneſi*. Itaque quia Cardiae mentio poſt id tempus deſiit, omniſque memoria pene intercidit, ſatis animadvertis, quanti ſint aeſtimandi urbis illius nummi, vetere adhuc, & primaevo nomine ſignati. Noſtrum hunc exornant hinc leonis caput, illinc clava in depreſſo tetragono caelata; ex quibus intelligas, Cardianos ſe in Herculis tutelam tradidiſſe. Duplex autem eſſe poterat ſingularis hujuſce Cardianorum in Herculem religionis cauſſa. Primo quidem, quod in Thra-

1 Clar. Eduardus Corſinus *Tom. I. Diſſert. III. Florentiae 1744. Tom. IV. Olymp. CVI. & CIX. Flor. 1756.*

2 *Voyages du Sr. A. de la Mortaye Tom. I. chap. XIX. tab. XXVII. num. 9. a l' Haye 1721.*

Digitized by Google

Thracibus numerarentur, qui quum Herculem Tyrium perveteri, conſtantique opinione ſuum conditorem crederent, eumdem omni cultus ſignificatione proſequebantur. Secundo quod non longe a Cardia diſtaret Thaſus, in qua *Herculis Servatoris* memoria tam alte inſederat, ut exinde *Thaſii* nomen illi obvenerit [1]. Scitum autem illud eſt, Deorum cultum ex una urbe, in qua inſigne aliquod exſtabat fanum religione, & frequentia facerrimum, facile in finitimas promanaſſe; quod de Hercule Thaſio accidiſſe non eſt dubitandum. Thracica, Thaſiaque Herculis expeditio, deducta utroque ab illo gens, condita illic ab *Heraclidis* oppida non modo a Strabone, Diodoro, & Apollodoro memorantur, ſed etiam in eximio Farneſiano marmore, quo & Herculis geſta, ac labores deſcribuntur, ejuſdemque expiatio, & quies variis ſymbolis, variiſque figuris affabre expreſſa ob oculos proponitur [2]. De Cardianis igitur merito cum Heſiodo, *περὶ τῆς ἀσπίδος τοῦ Ηρακλέους*, dici liceat.

> *Ἦρχε δὲ τοῖσιν ἐῢς πάϊς Ἀλκαίοιο.*
> *Fundator autem iſtis erat bonus filius Alcaei.*

Nvm. VII.

Typus iſte, laureatum Apollinis caput, lyramque referens, quo pariter notati ſunt nummi ΑΔΡΑΝΙΤΑΝ, ΔΕΛΦΩΝ, ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ, ΚΕΝΤΟΡΙΠΙΝΩΝ, ΛΑΠΠΙΤΩΝ, ΛΙΛΥΒΑΙΤΑΝ, ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ, ΝΑΚΤΟΡΙΝΩΝ, ΡΗΓΙΝΩΝ, ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ, ΤΑΥΡΟΜΕΝΙΤΑΝ &c. quam ſit Actiis conſentaneus, & ad famigerati Acarniae oppidi conditionem accommodatus, tute cognoſces, Ornatissime Roncalle. Tercentis, & amplius annis, antequam mutato nomine ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ appellaretur, deductaque illuc ex ſeptem civitatibus, clade

1 Exſtat *de Thaſiorum nummis, praecipue illis, in quibus Hercules Soter conſpicitur, commentatio* Johannis Hen. Schulze *Halae Magdeburgicae* 1737. ubi plura de ΗΡΑΚΛΗΙ ΣΩΤΗΡΙ, Thaſiorumque in illum cultu.

2 Iterum incomparabilis Corſini libros adiri jubeo; abſolutiſſimam videlicet illius explicationem *Marmoris Farneſiani*, quam poſt Tollium, Reineſium, Sponium, Goriumque adornavit, edid itque Florent. 1749. praeſertim *ad verſus* 75. 76. 77.

Digitized by Google

de vaſtatis,Colonia auguſta in Amphictyonum numerum cooptaretur, jam tranquillo portu, maximeque religioſo, & conſpicuo Apollinis templo a Thucydide celebrabatur [1]. Immo vero a mythicis uſque temporibus auricomo Jovis, & Latonae filio, cognomento *Actiaco*, in Acarnia aram dedicaſſe Argonautas, duoſque boves in ea mactaſſe, perhibet Apollonius Rhodius in primo libro.

> Νήεον αὐτόθι βώμον Ἐπάκτιυ Ἀπόλλωνος
> Ακτίυ Ἐμβασίοιο τ' ἐπώνυμον . . . . . .
>
> *Extruxerunt ibi aram Epactii Apollinis,*
> *Actii Embaſii cognominem* . . . .

In cujus numinis fide, ac patrocinio quum praeſidia omnia ſtatuiſſent oppidani, ſoſpiratoris ſui effigiem, praecipuumque illius inſigne pecuniae impreſſum ad feros nepotes tranſmiſerunt. Otio ſane, ac litteris intemperanter abuterer, operamque fruſtra conſummerem, ſi quidpiam de Apolline Actiaco, ejuſque teſtudine, modo commentarer, aut quae Homerus, & Callimachus in hymnis, Apollodorus in Bibliotheca, Lucianus in dialogis, Piloſtratus in imaginibus, Phornutus, Artemidorus ſcripta reliquerunt, noſque ipſi non inopportune collegimus, quum ſignum Mercurii ΧΕΛΩΝΕΥΡΕΤΟΥ illuſtraremus [2], hoc loco recuderentur. Duo raptim obſervaſſe ſufficiet: nummum hunc *tetragono* inſignitum, unicum inter Actiacos haberi, & quod ex noſtris principiis conſequitur, in vetuſtiſſimis urbis illius eſſe ponendum. Diſpar etiam ab hactenus editis ſua epigraphe eſt; ΑΚΤΙΕΩΝ enim, non vero ΑΚΤΙΩΝ, quemadmodum in ceteris, gentile declinatum conſpicimus. In quo Jonicae dialecti, omnium antiquiſſimae indicium forte ſublucet, indeque noſtri nummi prae aliis vetuſtas commendatur.

Sed in Actio, quo dicendo pervenimus, & quo ipſa ſcriptionis varietas ſenſim adduxit, tandem ſubſidamus; ut quoniam noſtra

1 *Lib.*1.

2 Diſſertatio a nobis edita, *Neapoli* 1747. & nobiliſs. Gallorum Regis Legato inſcripta, in cujus aedibus aeneum illud ſimulacrum adſervabatur.

noſtra haec tractatio a Marci Antonii legionibus, ſplendore, ac triumphis enata eſt, ibi exitum illa reperiat, ubi potentiſſimo ante Triumviro flagitiorum, arrogantiae, fortunarumque omnium finis, ac terminus fuit. Nam licet nonniſi bello Alexandrino, quo Antonius miſere, & inhoneſte interiit, omnis illius poteſtas in Oriente conciderit, verumtamen Actiaca navalis pugna, qua ſinus Ambracii fluctus caeſorum ſanguine perdiu rubuerunt, ut novam rebus faciem in Graecia, & Aegypto invexit, novum Caeſari imperium aſſeruit, ita Antonii audaciam fregit, vires proſtravit, fautores exterruit; ex quo ad ultimam, & irreparabilem illius cladem brevi aditus patuit. Porro ſi rerum futurarum auguria, & praeſagia oſtentis continentur, impendens Antonio fatale exitium portendere viſae ſunt, ut Plutarchus tradit, ſtatuae coloſſeae Antonio Athenis dedicatae, ſolae ex multis, paullo ante bellum Actiacum, vi turbinis disjectae [1]; itemque illius, & Cleopatrae ſigna ſub Deorum forma, ictu fulminis ſuo loco deturbata, atque everſa [2]. Et quoniam Antonii imperium vi, artibus, licentia partum Romanis in invidiam venerat, nomen illius, (quod aliis Principibus novimus eveniſſe [3]) jam inviſum e publicis monimentis per inſignem contemptum fuit eraſum. Evidenti argumento eſt inter Aſiaticas antiquitates monumentum Aphrodiſienſe, ſive Marci Antonii epiſtola ſcripta an. V.C. 717., ex qua non temporum injuria, ſed juſſu Senatus, acerbo in Antonium odio nomen illius ſic extritum, deletumque viſitur.

M. Ἀντώνιος αὐτοκρά-
τωρ ὕπατος ἀποδεδει-
ΓΜΕΝΟΣ ΤΟ Β. ΚΑΙ τὸ γ.
ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ ΤΗ Δευτεραίᾳ
ΤΩΝ ΔΗΜΟΣΙΩΝ &c.

M. An-

1 *In Antonio*.

2 Dio *Hiſtor. Rom. lib.* L.

3 V. Gruteri theſauri *pag.* ccxcv., ubi eraſum Domitiani nomen &c. Hanc injuriam Getae nomini irrogaiſe Caracallam prodit Dio in excerptis Valeſianis *pag.* 747. *edit.* Pariſien. 1634. Hoc unum argumentum docte, enucleateque verſat Cl. Hannibal Oliverius ad Marmora Piſaurenſia. *Lapid.* xix. *pag.* 34. *Piſaur.* 1738.

M. Antonius Imperator Conſul deſignatus ITERVM ET *tertium*
TRIVMVIR *Secunda vice* REIPVBLICAE &c.

Quae quidem lacunae ex titulo aliarum epiſtolarum Antonii, quas ante quadriennium Epheſi dederat, quaſque poſteris ſartas integras ſervavit Joſephus lib. XIV. antiquitatum, perfacile, vereque explentur [1]. Hoc memorandum dedecus, hoc turpe dehoneſtamentum, hanc immedicabilem ignominiam non antea Antonio irrogatam credo, quam ille amiſſa fortiſſima claſſe, ademptis ſibi magno numero civitatibus, interfectis ducibus, ſuorum quâ fuga, quâ defectione, muliebri tandem Cleopatrae inconſtantia ad incitas redactus, prorogandi imperii, aut ex fatali jactura emergendi omni ſpe deſtitueretur. Sic homo capitalium facinorum reus, patriae hoſtis, ac perduellis, totius belli civilis fax, iniquus orbis Romani invaſor, licet eloquentia, dexteritate, victoriis, Graecorum favore adeo praeſtans,

Minatus urbi vincula, quae detraxerat
Servis amicus perfidis,
Romanus (eheu poſteri negabitis)
Emancipatus feminae [2],

non tam calamitoſe, quam turpiter periit, ac defecit. Hoc laetiſſimo nuncio geſtiens Vrbs aeterna, hoc Caeſaris triumpho renaſcens ΙΕΡΑ ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ, & facta beatior Alexandria, victoriae concelebrandae nummos percuſſerunt vel Caeſaris, vel Agrippae (quo duce potiſſimum uſus fuerat) nomine, & Apollinis Actiaci, victoriae in puppi ſtantis, tropaei navalis, palmae, ſphingis, manipuli ſpicarum emblematis inſignitos, ut tota MARCI ANTONII hiſtoria a primis illius in Repb. factis ad extremam uſque epocham per nummos nitide, diſtincteque con-

1 Chiſull *Antiquitat. Aſiatic. pag.* 150. 161. 2 Horatius *Epod.* 9.

Digitized by Google

contexta exhiberi poſſit; indeque ſtudium Rei Nvmmariae non perutile modo, ſed in omni rerum vetuſtarum interpretatione tamquam fulgentem facem, magnumque praeſidium neceſſario adhibendum, invictiſſime probetur.

Tu vero, Ornatissime Roncalle, perge, ut inſtituiſti, numiſmata, optima, & quandoque unica rerum praeteritarum teſtimonia, undecumque comparare; dum enim de politioribus artibus praeclare mereberis, rem omnino tuam tibi vindicabis. Siquidem hanc provinciam videntur Muſae Medicis conceſſiſſe, ac quaſi reſervaſſe, ut prae ceteris in eruditae antiquitatis reliquiis ab impendenti vaſtitate vindicandis, & in nummis colligendis, explicandiſque ſumma cum laude allaborarent. Celebrabuntur, dum honos litteris manebit, Lazius, le Pois, Roſleinius, Occo, Savotus, Johannes Faber, Patinus, Wolkamerus, Meibomius, Sponius, Olearius, Daniel Major, Tournefortius, Vaillantius, Genebrierius, Mendius, Meadius, Mahudelius, Falconetus, Harbutnotius, qui cum divina medendi arte antiquitatis, praeſertimque nummorum ſcientiam feliciter copularunt. His te adjunge, hos ſequere, & ingenioſa, liberalique contentione aemulare, ut coepta ſtudia, hancque nobiliſſimam ſpartam tuearis, ornes, augeas, amplifices.

Digitized by Google


SECTIO DECIMA, ET VLTIMA.

ΠΑΡΕΚΒΑΣΙΣ *de tabula anaglypta Peloponnenſi. In ea Medicum Sellularium repraeſentari. Medicos olim apud Graecos, & Romanos in taberna, qui curationis cauſſa venirent, expectaſſe, Antiphontis, & Archagathi praeſertim exemplo probatur. Vetus controverſia de medicorum conditione denuo inter Meadium, & Middletonium exagitata. Schlaegeri, & la Motte de ea judicium. Scientiae medicinali vacaſſe viros tum publicis officiis illuſtres, cum politioribus litteris apprime excultos. Vtramque medicinae partem* κατηγητικὴν, καὶ δημιουργικὴν *eoſdemmet homines quandoque exercuiſſe, Pindari, Xenophontis, aliorumque teſtimonio evincitur. Veteres Iuriſconſulti ad eam rem teſtes acciti. De veste medica, deque ſella, & hipopodio. Pictura codicis Dioſcoridiani medicorum concilium referens. Ferramenta chirurgica diptycho penſili inſerta ex medicorum priſcorum doctrina illuſtrantur. De miniſtro* πημενταρίῳ *inſignis Olympiodori locus. Mulier ſtolata quamobrem a quadratario heic expreſſa. Quorſum ſpectet equus cum manuductore. An vir ſedens fortaſſe etiam* Ἱπποιατρὸς? *Medicinae equariae apud antiquos exiſtimatio, & ſcriptores. Serpens Epidaurius arbori circumvolutus aptiſſimum tabernae medicae inſigne, & ſymbolum.* Ὀφιολατρεία *ab Ethnicis ex hiſtoria Iudaica perverſe ducta. Marshami calumnia de ſerpente aeneo depulſa. Archiatris templa, & ſacrificia decreta, quum eſſent inter Heroas annumerati, Ariſtomachi, & Toxaridis exemplo docetur. Operis concluſio.*

MAgnum ingenium Plato, magnumque reconditioris philoſophiae lumen, eum eſſe ajebat honeſtiſſimum peregrinationis fructum, ſi quidpiam domum referas, in quo te deinde meditando, ſcribendoque exerceas. Nimirum videbatur illi, nihil poſt itinera reperiri dulcius otio litterato, his dico litteris, quibus ea, quae percurrentes adſpectavimus, miratique ſumus, interdum memoria repetimus, ſtudioſius evolvimus, atque expolimus. Quamobrem hic meus ſemper fuit mos, ut quum alicubi optima vetuſtatis monumenta reperirem, quae maxime

xime nondum eſſent vulgata, in ea oculos diligentius intenderem, eorumque apographum aliquod in adverſaria referrem, quae identidem reviſere, animoque tractare mihi volupe eſt, ſive ad veteres ſcriptores interpretandos, ſive ad nova rerum archaeologicarum ſtudioſis ſubſidia exhibenda. Hoc ipſum Venetiis ante paucos annos praeſtiti, a qua florentiſſima urbe priuſquam diſcederem, deliberavi iterum circumſpicere, memorique animo notare, atque etiam exſcribere praeſtantiora quaedam monumenta, ſigna, & toreumata, quae viri patricii, duceſque ſuperbo ſanguine nati ad ſplendorem urbis ſuae, privatiſque domibus perornandis ex Peloponneſo ſaeculis ſuperioribus advexerant. Quae in aedibus praenobilium Grimanorum ad S. Mariae Formoſae exſtant ſculpta marmora, ſingularem mihi viſa ſunt praeſeferre commendationem, antiquitatem, excellentiam, quippe quae vetuſtiſſimas Graecorum opiniones, illuſtria Heroum facinora, peculiares nationis illius mores, ritus, conſuetudines ſpectandas exhibeant. Sed quominus in his delineandis defatigarer, effecit amor, & humanitas Cl. Anſelmi Coſtadonii, viri non tam ad litterarum incrementum, quam ad ſanctum amicitiae nomen colendum, tuendumque nati, qui me horum marmorum graphidibus eleganter deſcriptis liberaliſſime muneratus eſt. Sane mihi nunquam fuit jucundior horum ſchematum conſpectus, quam quum in his reperi, quod tibi deferrem proprium, & gratiſſimum munus. Quid enim Archiatro praeſtantiſſimo exhiberem acceptius, quam pervetus, & inſigne rei medicae monimentum, idemque ſplendidiſſimum Peloponnenſium erga divinae hujus ſcientiae profeſſores exiſtimationis teſtimonium? Id totum certe referre videtur tabula marmorea antiquo artificio egregie caelata, in Grimanorum cavaedio ſita, cujus exemplar aeri redditum nullus ad hunc diem publicavit. In ea ſiquidem Medicus conſpicitur in taberna, abaco, ferramentis Chirurgicis, & Miniſtro *πημειταρίῳ* inſtructa artem exercens, ad quem nobilis mulier equo e longinquo devecta venit, ut excellentis Medici peritia ex morbo convaleſcat. A quo Medico aegros dubia vitae ſpe laborantes ad priſtinam valetudinem, virtutemque fuiſſe revocatos, Serpens, ſalutis index, portendere, ac monſtrare videtur. Multa tibi for-

taſſe, Docte Roncalle, hic lapis ſuppeditaret dicenda de priſca medendi ratione, quae a me hujus artis ignaro fruſtra requireres; annitar nihilominus ex probatiſſimis ſcriptoribus ea omnia delibare, quae ſingulis anaglyphi partibus aliquod afferant lumen, ut mantiſſam hanc, vel potius *παρέκβασιν*, ſin minus operis argumento, tuo certe inſtituto conſonam libentius excipias, atque complectaris.



Jam vero, ut unde neceſſe eſt, inde lucubrationis initium ſumatur, illud pro certo conſtituendum, veteres Medicos doctrina, experientia, fama illuſtres urbem curſitare minime conſueviſſe, & raro ad clinicorum curationem domos adiiſſe, ſed unumquemque ſuam palaeſtram, officinam, tabernam ſibi comparaſſe, in qua non modo auditores optimis praeceptis imbueret, ſed aegrotantium morbis, qui conſulta, & mexipharmacha quaeſitum veniebant, opportune mederetur. In quo veterum Medicorum, qui de vili *περιοδευτῶν*, & *ἀγυρτῶν* turba non eſſent, gravitatem, dignitatemque mirere. Nomen eiſdem a nobili artis exercendae ratione impoſitum. Nam *Ἰατροὺς ἐπιδιφρίους*, *Medicos ſellularios* fuiſſe appellatos, monet in Plinianis exercitationibus Salmaſius

ſius [1]. Satis quaeſtioni, ſatis muneri meo feciſſe arbitrabor, ſi duo tantum ad id aptiſſima exempla ſubjiciam. Primum eſt Antiphontis Rhamnuſii, qui quum medicinam Corinthi facere apud ſeipſum conſtituiſſet, nihil habuit potius, quam ut de publica officina ſibi provideret, cui titulum, & inſcriptionem publico commodo appoſuit. Rem Plutarchus his verbis exponit in vita ipſius Antiphontis. ἔτι δὲ ὢν πρὸς τῇ ποιήσει, τέχνην ἀλυπίας συνεστήσατο, ὥς περὶ τοῖς νοσοῦσιν ἡ παρὰ τῶν Ἰατρῶν θεραπεία ὑπάρχει· ἐν Κορίνθῳ τε κατασκευασάμενος οἴκημά τι παρὰ τὴν ἀγορὰν, προέγραψεν ὅτι δύναται τοὺς λυπουμένους διὰ λόγων θεραπεύειν, καὶ πυνθανόμενος τὰς αἰτίας παρεμυθεῖτο τοὺς κάμνοντας. *Dum adhuc poeticae eſſet deditus, artem dolorum abolendorum condidit, qualem medici aegrotantibus curationem promittunt; ac Corinthi pone forum exſtructa taberna proſcripſit, ſe eos, qui in moerore eſſent, verbis ſublevare, auditiſque aegritudinum cauſis, conſolatus eſt aegros* [2]. Hinc Romani Archagathum ex Peloponneſo accientes,

1 *In Caii Julii Solini Polyhiſtora Tom. II. Pariſiis* 1629.

2 *Vitae Rhetor. Pariſiis* 1624. Ex hoc Plutarchi loco διὰ λόγων θεραπεύειν videtur Antiphonta ad morbos depellendos excantationibus potius, magiciſque, ut vocant, artibus, quam remediis, quae a natura ſuppeditantur, eſſe uſum. Fuit haec perverſa, ac inutilis medendi ratio non tam ab antiquiſſimis medicinae doctoribus Zoroaſtro, Herma, & Chirone invecta, ut obſervat Daniel Clericus *Hiſtoire de la Medicine liv.1.chap.4.10.12.&c.* ſed etiam a Galeno, Eraſto, Conſt. Africano, Agrippa, deinde vero à Caeſare Longino, Campanella, Pomponatio, Johan. Porta plurimi habita. Quibus perſuaſum fuerat certis verbis, compoſitiſque carminibus poſſe homines morbo relevari. Laudatur a Sillo Italico lib. v. Synalus Hannibalis medicus, qui

. . . . . ferrumque e corpore cantu
Exigere, & ſomnum torto miſiſſe Chelydro
Anteibat cunctos . . . .

Huic errori anſam veroſimiliter dederunt mirabiles Muſices, apteque modulatarum cantionum effectus, quas ad ſedandas animorum jactationes, proindeque etiam ad reſtinguendas aegritudines, moleſtias, infirmitates, quae ex turbulentis animi motibus oriuntur, multum ſemper valuiſſe cognovimus. Brevi temporis decurſu res ad extremam deflexit nequitiam, & carminibus inſana veneficia, ſuperſtitioſae operationes additae ſunt, quae imbecillium mentes ſic occuparunt, ut tota artis ſalutaris vis, & efficacitas in illis ſita crederetur. Confer inter ceteros Henricum Ant. Heintze 1659. *de Incantationis adverſus morbos efficacia. Helmſtadii* 1659. Peſſimae huic arti a Chriſtiana Repub. averruncandae plurimum allaborarunt non modo ſacratiſſimi Antiſtites, quorum ſanctiones obviae in theologorum libris, ſed & Imperatores, piiſſimiqne Reges, ut ex Codice Theodoſiano, & Carolinis Conſtitutionibus liquido apparet. Huc ſpectat III. Concilii Turonenſis an. DCCCXIII. Canon XLII. edi-

tes, ut artem medendi in Vrbe antea vix notam exerceret, docente Plinio, officinam illi deſtinarunt publico ſumptu coemptam. *Caſſius Hemina ex antiquiſſimis auctor eſt, primum e Medicis veniſſe* Romam *ex Peloponneſo Archagathum Lyſaniae filium L. Aemilio, & M. Livio Coſs. an. V. C.* DXXXV., *eique jus Quiritium, & tabernam in compito Acilio emptam ob id publice* [1].

Neque vero hoc unum tabernae nomen quemdam tibi de antiquis Medicis contemptum, & deſpicatum ingerat, ac ſi ſordidam, humilem, illiberalem artem exercerent, homine ingenuo, & cive Romano prorſus indignam. Injuriam hanc, ſeu potius calumniam Medicis primum impoſuit Cornelius Agrippa [2], homo dicaciſſimus, qui dum aliena carpit vitia, noctem quamdam rebus omnibus offundit. Sed nemo, hoc praeeunte duce, artem ſalutarem ſic aſpernari, ejuſque profeſſores in vili hominum grege ponere auſus eſt, niſi Franciſcus Robortellus, ſtudiis humanitatis ceteroqui clarus, qui non multo poſt renatas in Italia litteras, eamdem inſtauravit quaerelam, & ingenti animoſitate adverſus Archiatros bellicum cecinit [3]. Quanta deinceps erupit ſcriptorum turba, ut e veteri nobilitatis poſſeſſione illos dejiceret! Pignorius [4], Borremanſius [5], Dempſterus [6], Menagius [7], Boe-

editionis Labbeanae Pariſienſis 1671. Tomo VII. *Admoneant Sacerdotes fideles populos, ut noverint, magicas artes, incantationeſque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil poſſe remedii conferre*. Num aliquando diabolica haec ars, divini Numinis permiſſu, ſuum conſequeretur effectum, & aegrotos ſolaretur, ſuperſedeo diſputare, ne infinitas illas concertationes de *Arte Magica*, quae tanta utrinque animorum diſſenſione, tantaque librorum copia, hac aetate ſunt inſtitutae, huc importune regeram. Ceterum, ut ad Antiphonta revertar, quum is poeſi excelleret, facile potuit carmina ſuaviſſima excogitare, quae *morbis epathicis* levandis utcumque conferrent. Niſi potius διὰ λόγων θεραπεύειν intelligi fas ſit de ſumma illius eloquentia, qua morborum cauſſas, affectiones, ſyntomata, prognoſin explicabat, & ſingulis ſua proponebat medicamenta; ut quamvis *verbis*, (κατ' ἐξοχὴν, ob eloquii praeſtantiam) aegrotantium languoribus ſuccurriſſe Plutarcho dicatur, re tamen ipſa conſuetas antidotos ex diſciplinae praeſcripto morbis adhibuiſſe putandus ſit.

1 H.N. lib. XXIX. cap. VI. *Harduin.*

2 *De Incert. & vanit. ſcient. cap.* XXXVIII. *Coloniae* 1575.

3 *Adnot. in veter. Auctores lib.* I. *cap.* XXI. exſtat in Theſauro Critico Gruteri. *Tom II.* Francofurti 1604.

4 *Commentar. de Servis pag.* 36. 37. *Patavii* 1656.

5 *Variar. Lection. cap.* XV. *Amſtelod.* 1676.

6 *Paralipomena ad Roſin. Antiqu. lib.* II. *cap.* XVII. *Amſteledami* 1747.

7 *Amoenitates Juris cap.* XXXV. *Pariſiis* 1677.

Boekelmannus[1], Heineccius[2], ut alios praeteream, conquiſitis omni ſtudio argumentis, ac teſtibus, & quaſi agmine facto, Robortelli ſententiam tueri, ac magis, magiſque confirmare ſtuduerunt. Nec a Grammaticis tantum, aut Juriſconſultis ars haec laceſſita, & exagitata eſt, ſed quandoque etiam a ſacrorum Bibliorum interpretibus. Balthaſar Corderius in catena Patrum Graecorum[3] de Luca Evangeliſta Antiochia, Syriae urbe percelebri, oriundo, mentionem faciens protritum argumentum tangit, quo Medicorum conditio ſervilis oſtendatur. Quod quum Syria multos ſervos Romanis exhiberet, veroſimile videtur, Lucam inter mancipia fuiſſe, & in ſervitute medicinam factitaſſe, donec, ejuratis erroribus patriis, Chriſto nomen dedit, ac manumiſſus, qui antea corporum, Medicus fuerat[4], exinde animarum curator evaſit. Hoc ipſum argumentum, Syros apud veteres ſervituti natos dici, retexuit Caveus in antiquitatibus Apoſtolicis, & Grotius in commentariis ad Lucam; ſed quam futilis, quam fallax, quam male contorta ſit iſtorum concluſio, perinde ac ſi nullus ingenuus, nullus liber homo in tota Syria fuerit, facile ex Zornio cognoſci poterit[5]. Verum multo eruditius, multoque copioſius jactata in Medicos calumnia retuſa, ac diſpulſa fuit non ab his ſolum, qui medicinam profitebantur, quique nimio ſuae artis ſtudio ducti, delectati, atque abrepti putari poſſent, ſed ab his etiam, quibus nulla cum hac facultate conjunctio. Primo quidem a Petro Bayro[6], Hippolyto

1 *Medicus Romanus ſervus ſexaginta ſolidis aeſtimatus*. *Lugduni Batavor.* 1671.

2 *Antiquitat. Rom. lib.* 1. *Tit.* xxv. §. xix. Operum *Tom. IV. edit. Genevae* 1747.

3 §. xiv. *Antuerpiae* 1628.

4 Tres praeſto ſunt, quas in hoc argumento indicem Germanorum lucubratiunculas; Joh. Dieder. Winckleri *de Luca Medico*, *Lipſiae* 1736. Bened. Gottlob. Clauſwitzii *de Luca Evangeliſto Medico*, *Lipſiae* 1740. Item Caroli Chriſtiani Woog, *de Luca Evangeliſta Medico Lipſiae* 1736. Poſtremus hic auctor, qui mihi ſcribenti prae manibus eſt, id agit, ut Lucam vere medicum fuiſſe ex teſtimonio veterum Eccleſiae ſcriptorum demonſtret: quae teſtimonia quamvis ſaeculum iv. non antecedant, tamen deeſſe alia hanc epocham praecedentia minime evincunt, quum ex his, qui ſuperſunt, ſcriptoribus pateat, primis poſt Chriſtum natum temporibus, hanc ipſam de Luca viguiſſe opinionem.

5 *Opuſcula Sacra Tom. I. num.* xvi. *Epiſtola &c. edit. ſecund. Altonaviae, & Flensburgi* 1743.

6 *De Nobilitate facultatis Medicae*. *Taurini* 1515.

lyto Obiccio [1], Andrea Tiraquello [2], Samuele Petito [3], Jacobo Gothofredo [4], Caſaubono [5], Joſ. Laurentio [6], tum a Sponio [7], Meibomio [8], Drelincurtio [9], Voſſio [10], Crellio [11], Salom. Cellario [12], Vandikio [13], & Schulzio [14], viris inclytis, & oppido eruditis Medicorum cauſſa, defenſioque eſt ſuſcepta, & criminatio vindicata. Numquam tamen de hujuſce ordinis conditione decertatum eſt acriore contentione, nec umquam vetus haec controverſia majore efferbuit aeſtu, quam in Anglia hoc ipſo vertente ſaeculo inter Richardum Meadium, & Conyers Middletonium, illum Londinenſem Aeſculapium, hunc Cantabrigenſis Academiae Bibliothecarium. Nam ut primum vulgata eſt elegans, & compta illa Meadii oratio [15], qua honores Medicis ubique gentium delatos recenſuerat, & ſuae facultatis oſores ad ea tempora provocarat, quibus certe non homines infimo orti genere, ſed clara ſtirpe, honeſtiſque, ac laudatiſſimis familiis prognati, artem Romanis Impp., ceteriſque Principibus apprime caram excoluerunt, bellum illi confeſtim impetu, quo poterat maximo, indictum, paratumque fuit a Middletonio, qui quic-

1 *Dialogus Tripartitus de Nobilitate Medici contra illius obtrectatores. Venetiis* 1605. *ſecunda edit.*

2 *De Nobilitate Primogen. cap.* XXXI. *Lugduni* 1537.

3 *In Legibus Atticis pag.* 300. *Pariſiis* 1635.

4 *Ad Cod. Theodoſ. Tom. V.* Quae ab eo in honorem Medicorum, artiſque Medicae laudem ſunt collecta, inferius locus erit opportunior recenſendi.

5 *Not. in Sveton. in Caeſare* CAHI. *Genevae* 1595. Item *not. ad Spartianum.*

6 *In Theſaur. Antiquit. Graec. Gronov. Tom. IX. &c.*

7 *Recherches Curieuſes &c. Diſs.* XXVII. *à Lion.* 1683.

8 *Comment. ad Formulam* COMITIS ARCHIATRORUM *&c. Lugdun. Batav.* 1667.

9 *Apologia Medica, qua depellitur calumnia, Medicos Roma ſexcentis annis exulaſſe. Lugd. Bat.* 1671. Qui non tamen ex inſtituto, ſed obiter nobilitatem Medicorum propugnat.

10 *De Honoribus Medicorum apud Veteres* §. XXI.

11 *De Antonio Muſa Auguſti Medico Commentatio*, auctore Joh. Friderico Crellio. *Lipſiae* 1725.

12 *De Originibus, & Antiquitatibus medicis cap.* VI. §. III. v. Chriſtophori Cellarii *Diſſert. Academicas Lipſiae* 1712.

13 *Amoenitates Philologico-Medicae, in quibus Medicina a ſervitute liberatur. Trajecti ad Rhen.* 1730.

14 *Excurſio in antiquitates ad ſervi Medici apud Graecos, & Romanos conditionem eruendam. Halae Magdeburg.* 1733.

15 *Oratio anniverſaria Harvejana in theatro regii Medicorum Londinenſium collegii habita &c. Adiecta eſt diſſertatio de nummis a Smyrnaeis in honorem Medicorum percuſſis &c. Londini* 1724. *Lugdun Batav.* 1725. *Neapoli* 1750.

quicquid habebat virium, ingenii, eruditionis contra Medicos contulit [1], ut tot laudum praeconia minueret, extenuaret, everteret. Et quamvis novus, optimuſque Medicorum cauſſae patronus acceſſerit, qui Middletonii opuſculum nota cenſoria caſtigavit [2], nihil ille animo concidit, nihil a jurgio abſtinuit, ſed novam iniit dimicationem, noviſque ſcriptis adverſarios inſectatus eſt [3].

Graviſſimi hujus, diuturnique diſſenſus hiſtoriam ſummo ingenio, ſummaque doctrina contexuit Julius Carolus Schlaegerus, homo, ſi quis alius, inter manſuetiores Muſas educatus [4], qui licet aſſenſionem quandoque cohibere videatur, fatetur tamen, Middletonio crimen malae fidei in excitandis teſtibus jure exprobari, & inexcuſabilem ſuſcepiſſe culpam, dum monumenta ſilentio obvolvit, quibus Medicorum nobilitas probatur, dum aliquot adverſariorum argumenta quaſi intacta dimittit, aut tempora, quibus ars Apollinea novam induit faciem, & maximam honoris amplitudinem conſequuta eſt, non ſatis accurate diſtinguit. Sed dirimendae litis conciliator, ferendaeque pacis ſequeſter acceſſit ingenioſiſſimus Anglus Carolus la Motte, qui opere patrio idiomate exarato [5] litterarium bellum inter ſuos pene reſtinxit. Rem ille ad vivum reſecat, & quatuor *Servorum* claſſes apud Romanos exſtitiſſe, aptiſſime obſervat. Ad primam pertinebant belli jure abrepti; ad alteram, qui parata pecunia emebantur; ad tertiam, qui domi nati *Vernae* audiebant; ad quartam vero, qui quum peregrini eſſent, ſemetipſos in ſervitutem dabant, ut jus civitatis conſequerentur, cujus generis ille eſt, qui apud Petronium in Satyrico ait: *ipſe me dedi in ſervitutem, & malui civis eſſe Romanus, quam tributarius*. Quod ſi eos, qui Romae medicinam faciebant, aut in ea quandoque Vernas, Li-

1 *De Medicorum apud veteres Romanos degentium conditione diſſertatio, qua contra viros celeb. Jac. Sponium, & Rich. Meadium ſervilem eam fuiſſe oſtenditur. Londini 1726.*

2 *Notae breves in diſſertationem nuper editam de Medicorum apud Romanos conditione auctore P. W. M. D. Londini 1726.*

3 *Diſſertationis de Medicorum Romae degentium conditione ignobili, & ſervili &c. defenſio. Cantabrigiae 1727.*

4 *Hiſtoria litis de Medicorum apud veteres Romanos degentium conditione. Helmſtadii 1740.*

5 *An Eſſay upon the ſtate & condition of Phyſicians among the antients &c. London. 1728.*

ebrtoſque erudiebant, ad primum, vel ultimum *Servorum* ordinem revoces, nihil eorum conditio, nihil eorum ſervitus detrahet artis medicae dignitati, atque ſplendori. Nec eſt, cur in his ab ignobilitatis nota purgandis diu immoremur, quum tot ingenuos, honeſtaeque ſtirpis homines Medicinae ſe addixiſſe conſtet. An ad mancipia ablegabimus Albutios, Caſſios, Arruncios, M FONTEIVM NICANDRVM, T. VIBIVM RVFVM, quorum familiae inter nobiles recenſentur? Servos ne fuiſſe dicemus aut Cyrum Apollonii filium excellentem archiatrum, quem Lampſaceni in publicis tabulis **ΤΟΝ ΠΟΛΕΙΤΗΝ ΕΠΙΣΗΜΟΝ** *Civem nobilem* appellarunt, aut P. ANCHARIVM MEDICVM, qui SEXTVMVIR AVGVSTALIS fuit[1]? An Servi *τὰ βουλευτικὰ λειτουργήματα Senatoria munera* obibant, a quibus Medicos vacare debere Imp. Julianus edixit[2]? In quo tamen commendanda, laudandaque eſt eximii Principis Conſtantini Magni prudentia, & propenſa in Archiatros voluntas, a quo, (conſtituta inter munera, & honores differentia) cautum, ſanctumque fuit, lege ad Voluſianum data ann. CCCXXI. ut quamvis Medici a muneribus eximerentur, omnes tamen capeſſerent honores[3].

At quum de honoribus ſermo eſt, quis paucis dicendo perſtrin-

1 V. Sponium, Meadium, Crellium, &c. *ubi ſupra*.

2 *Epiſt.* XXVI. *inter Juliani opera edit. Pariſien.* 1630. Immunitates, & privilegia Archiatrorum, ne ſcilicet hi ad militiam compellerentur, ne in jus vocari, vexari, injuriamque pati deberent, ne ad argenti, aut equi praeſtationem tenerentur, aliaque id genus plura auctores habent Auguſtum, Veſpaſianum, Hadrianum, Antoninum Pium, Conſtantinum M., Valentinianum, Gratianum, ac Theodoſium. V. Conſtitutiones, quae exſtant in Codice Theodoſiano *lib.* XIII. *Tit.* III. *de Medicis, & Profeſſoribus*, vel quae recenſentur a cl. Gothofredo in earumdem legum enarrationibus. *Cod. Theod. Tom. V. Lugduni* 1665. Nam quum ſalutaris, & neceſſariae artis profeſſores tantopere Reipub. prodeſſent in hominum vita, ac ſalute conſervanda, aequum erat, ne magiſtratibus, & officiis aliis onerarentur. Confer Everardum Ottonem *de Aedilibus Coloniarum cap.* VI. *ſ.* VII. *Francofurti* 1713. Verentibus tamen Imperatoribus, ne civilium munerum evitandorum, aut praemiorum, quae Medicis proponebantur, adipiſcendorum cauſſa, plures quam par erat, huic ſcientiae vacarent, numerum Medicorum in quavis urbe placuit definiri. Cujus quidem ſanctionis teſtimonium eſt Antonini Pii epiſtola apud Modeſtinum *l.* 6. *ſ.* 2. *D. de Excuſat. tut.* Adi Antonium Auguſtinum *ad Modeſtinum Lugduni* 1591. Huberum *Digreſſ. Juſtinianearum l.* III. *Frenekerae* 1671. Briſſonium *Antiquitat. ex Jure Civili ſelect. lib.* II. *cap.* III. edit. Dieterici *Lipſiae* 1741.

3 *Cod. Theod. loc. cit.*

ſtringat, in quantum gloriae, & amplitudinis faſtigium ars medendi ſui ſtudioſos apud viros principes evexerit? Summis beneficiis, opulentiſſimis ſtipendiis, celſiſſimo dignitatis gradu, ornamentis omnibus, familiaritate, ſua denique amicitia invitare, afficere, augere, honeſtare gloriabantur Hippocratem Perdiccas, & Artaxerſes [1], Democedem Crotonienſem [2], & Oribaſium [3] Perſarum Reges. Philippum Acarnenſem Alexander Macedo [4], Eraſiſtratum Antiochus [5], Stertinium Claudius [6], Eudemum Druſus &c. [7] Nullum ergo fuit tempus, in quo Medicis maximus non ſit delatus honor. Atque ut tantam colligerent famam, publicamque ſibi compararent exiſtimationem, in cauſſa fortaſſe etiam fuerat, quod ad politiorum artium ſtudia vehementer incumberent, & ceteras eleganriſſimas diſciplinas, quae ſemper magni habitae ſunt, ſolidam eruditionem, ſermonis caſtitatem, poëtarum veneres cum medicina copularent. Hoc uno certe nomine Marco Artorio Octaviani Aug. Medico, qui omnigenae doctrinae copia, ſermonis ubertate, exquiſita variarum rerum cognitione excellebat, monumentum a Smyrnaeis poſitum, dedicatumque legimus, quod ita habet.

ΜΑΡΚΟΝ ΑΡΤΩΡΙΟΝ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΝ
ΘΕΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΙΑΤΡΟΝ
Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΤΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ
ΕΤΙΜΗΣΑΝ ΗΡΩΑ ΠΟΛΥΜΑΘΙΑΣ ΧΑΡΙΝ.

Marcum Artorium Aſclepiadem = Dei Caeſaris Imperatoris Medicum = Senatus, & populus Smyrnaeorum = honoravit Heroem multiplicis eruditionis gratia [8]. Haud diſſimili ratione factum eſt, ut Bibliothecarum praefecturam, ac cuſtodiam, quae nonniſi Philologis penitiori quadam doctrina, & ampliſſima

1 Suidas in v. Ἱπποκράτης *Lexicon. Tom. I. edit. Cantabrigiae* 1705.

2 Herodotus *Thalia, ſive lib.* III. *Lugd. Batav.* 1715.

3 Eunapius *in libro Sophiſtar. Antuerpiae* 1568.

4 Q. Curtius *lib.* VI. *cap.* X. Pitiſci *Vltrajecti* 1685.

5 Plinius *lib.* XXIX. *cap.* I.

6 Idem.

7 Tacit. *Annal.* III. *cap.* III. Conſule, ſi quid eſt opus, Petrum Caſtellanum: *Vitae veterum, & illuſtrium Medicorum*. In Theſauro Gronovii, *tom.* X.

8 Edidit primo Patinus eo in libro, quem commemoravimus *pagina* 9. *adnotat.* I.

Digitized by Google

omnium ſcientiarum notitia praeditis concedebatur [1], Medicis datam videamus, ut in marmore Gruteriano [2].

DIS . MANIBVS
CLAVDIAE . EVTYCHIAE
CONIVGI . SANCTISS.
BENEMERENTI , ET
Q. DOMITIO . HELICI
HYMENAEVS . MEDICVS
A. BIBLIOTHECIS . &c.

Neque deſunt, qui in Medicorum collegium aggregent viros ſubacto ingenio, altiſſima eruditione, varietate litterarum, ſtyli munditia inſignes, quorum celebritas magnum eſt duratura per aevum, ſcilicet Homerum [3], Ciceronem [4], Senecam [5], Plinium [6] atque Photium [7]. Quod ſi concedatur, novum, ac hono ri-

1 Morhofius *Polyhiſt. lib.*1.*cap.* VI. *de Bibliothecariis. Lubecae* 1747. Funcius *de Scriptura veterum cap.* VIII. *de Bibliothecis. Marburgi, & Rintelii* 1743.

2 *Theſaur. Inſcrip.* DLXXXIIII. 4. Apponendum cenſuimus, quod corrupte a Pignorio, aliiſque vulgatum ſit.

3 Jo. Gothofredus Oertelius *de Homero Medico, Vittembergae* 1700. Loca in unum collegit, in quibus Poeta de re Medica loquitur, & morbos, eorumque curationes enarrat, atque praeſcribit.

4 Samuel Chriſtophorus Vrſinus *de Cicerone Medico, Vittemberg.* 1711. cui diſputanti adſidebat Adam Brendelius. Similiter ex locis M. Tullii quibuſdam illum in Medicina verſatum conjectat. Hoc ipſum agit Hieronymus de Bono, *de Medica facultate in M. Tullio Cicerone V. Nuova raccolta di Opuſcoli tom.* III. *Venez.* 1757.

5 Andreas Jacobus Kriſten *de Seneca Medico, id eſt de quibuſdam utriuſque Senecae ſententiis medicis diſputationes* II. *Altorfii* 1738. Diſputat tum de M. Annaeo Seneca Cordubenſi Rhetore, qui vita utebatur Claudii temporibus, tum de L. Annaeo Seneca Neronis praeceptore cognomento Philoſopho. Axiomata quaedam ex amborum libris colligit, e quibus utrumque in re medica ſcientiſſimum probat, aut probare nititur.

6 Juſtus Godofredus Gunzius *de auctore operis de re medica, vulgo Plinio Valeriano adſcripti libellus. Lipſiae* 1736. Fuiſſe quemdam Plinium virum certe doctum in re medica, apparet ex Lapide Gruteriano. Quis fuerit, inquirit Gunzius, & de opere diſſerit.

7 Joh. Gottofreidus Geiſſlerus *de Photii Patriarchae Conſtantinopolitani ſcientia Medica. Lipſiae* 1746. Id arguit ex judicio, quod Photius perhibet librorum Medicorum, veluti Galeni, Dioſcoridis, Oribaſii, quorum lectione artis medicae ſcientiam ſibi comparaſſe adparet. Item ex ejuſdem Photii epiſtolis edit. Montacutianae cognitioni Photium adjunxiſſe exercitationem, & plures ab eo ſanatos, evincit Geiſſlerus.

Digitized by Google

norificum profecto huic arti accedet teſtimonium, atque ornamentum. Exſtitiſſe praeterea Medicos, qui poëtica arte pollere pulcherrimum ſibi duxerunt, exemplo tum Antiphontis, tum aliorum, quorum ſcripta recenſuit Bartholinus [1], non eſſet difficile oſtendere, ac perſuadere. Quumque poëtas, tamquam homines coeleſti ſpiritu afflatos, ſeu, ut Plato dixit, Deorum filios ſuſpiceret antiquitas, quis non videat, quanta laus medicinae addita ſit ab his, qui quamvis carminum fulgore ſupra reliquos homines attollerentur, nobiliſſimam illam facultatem profiteri, atque exercere non deſtiterunt, neque ex illa minorem ſibi gloriam, quam ex quavis alia diſciplina comparari poſſe putaverunt? Id Niciae Mileſio compertum certe fuerat, quem ob id laudat Theocritus [2], quod artem ſuam cum poëticis ſtudiis, Gratiis faventibus, conjungeret.

. . . . *Ἰατρὸν ἐόντα*
Καὶ ταῖς ἐννέα δὴ πεφιλαμένον ἔξοχα Μώσαις
. . . . *Medicum exiſtentem,*
Et novem amicum eximie Muſis.

Atque iſta quidem generatim de officina medica, deque ſedentis Archiatri nobilitate: nunc inſtitutum noſtrum ſequuti, & de ſingulis anaglyphi emblematis, ac partibus dicturi a diptycho penſili, cui nonnulla ferramenta chirurgica inſerta ſunt, exordiemur. Vt autem perſpicue, certoque intelligatur, quadratarium nec inconſulto, nec inepte haec ſymbola juxta Archiatrum appinxiſſe, paullo altius res videtur eſſe repetenda. Cornelius Celſus Tiberii Caeſaris imperio non incelebris Rhetor, ac Medicus ex ſecta Aſclepiadis in praefatione ad librum I. artem medendi ſic partitur. *In tres partes Medicina diducta eſt, ut una victu, altera medicamentis, tertia manu mederetur. Primam διαιτητικὴν, ſecundam φαρμακευτικὴν, tertiam χειρουργικὴν nominaverunt* [3]. Quae quidem diviſio ſerius enata eſt; nam primo duo tantum fuerant Medicorum genera

1 Thomas Bartholinus *de Medicis Poetis Hafniae* 1669.

2 *Idyllio* XI. edit. Heinſii *Lugduni Batav.* 1604.

3 *De re Medica lib.* VIII. *edit. Patavinae* 1722.

nera, quorum alii Ἀρχιτεκτοὶ dicebantur, quod explorata morborum origine, victus rationem, & medicamenta ſoli imperarent, alii δημιυργοὶ appellabantur, quod operam manibus impenderent, vulnera tractarent, emplaſtra admoverent. Δημιυργοὶ porro ſervi, vel filii Ἀρχιτεκτῶν quum eſſent, nonniſi illis coram, eorumve juſſu quicquam olim tenebant. Sed quia inſita a natura ſuae ſortis augendae ambitione, & alienae invidia quiſque tenetur, qua animum ſollicitante, μιμεῖται καὶ φαρμακοπώλης Ἰατρὸν, καὶ συκοφάντης Ῥήτορα, καὶ σοφιστὴς Φιλόσοφον, *aemulatur pharmacopola Medicum, circulator Oratorem, ſophiſta Philoſophum* [1]; Pharmaceutae, & Chirurgi aventes rem ſuam meliuſculam facere, & ad nobiliorem evehi hominum claſſem, ſe ſe Architectorum ſubduxerunt imperio. Ex quo deinde trina illa Celſi medicinae, ſeu potius Medicorum diſtinctio conſtabilita eſt. Ergo quum ferrea inſtrumenta ſive ad ſecandum, & urendum, ſive ad diapaſmata, & collyria praeparanda Medico in noſtro hoc marmore tribuantur, illud conſequitur, aut marmoris ſculpturam praeceſſiſſe epocham, in qua tria medicinae munia, & officia diſſociata ſunt, aut in Peloponneſo Medicos a chirurgice & pharmaceutice exercenda neutiquam abſtinuiſſe.

Re quidem vera fuerat illud vetuſtiſſimis temporibus communi uſu receptum, ut omnes partes medicinae, quantum quantum illa latepatet, iidemmet homines profiterentur, quod ſane nec abjectum, nec ſervile rebantur. Nam eccur turpe ducerent id unum praeſtare, quod primos ſuae artis nobiliſſimos conditores feciſſe noverant? Aeſculapium deſcribit Pindarus nunc aegrotis pharmaca miſcentem, nunc thalpteria admoventem, nunc tabida membra ferro exſcindentem [2].

Τοὺς δὲ προσανέα πί-
Νοντας, ἢ γυίοις περιάπτων πάντοθεν
Φάρμακα, τοὺς δὲ τομαῖς ἔστασεν ὀρθούς.

Quoſ-

1 Maximus Tyrius *Diſſertat.* XI. *edit. Marklandi. Londini* 1740.

2 *Pbyth. Ode* Γ. *Stroph.* γ. *edit. Benedicti. Salmurii* 1620, Aeſculapio Smila, ſeu gladius Chirurgicus datur in Nummis Smyrnaeorum, Mead. *ubi ſupra*.

Quoſdam vero lenia bibentes, aut membris fomenta circumponens, quoſdam etiam ſectionibus morbo levavit. Pleni ſunt ſimilium exemplorum Homerici libri, ſive Machaonis, qui telo e vulnere Menelai extracto, dicitur illius [1]

> Αἷμ' ἐκμυζήσας, ἐπ' ἄρ' ἤπια φάρμακα εἰδώς,
> *Sanguinem expreſſiſſe, lenia medicamenta ſciens,*

ſive Poeonis, qui Marti vulnerato [2]

> . . . . 'Οδυνήφατα φάρμακα πάσσων,
> . . . . . *Dolores pellentia medicamenta adhibuit.*

Scitum illud etiam Podalirii, qui Damaethi Regis filiae utramque ſecuit venam [3]. Sed abeamus a fabulis, & propiora videamus. Adeo id erat apud veteres conſtans, ut in proverbii conſuetudinem venerit, eum qui cruciatus, ſupplicia, poenaſque ad correctionem adhibet, Medicum imitari. Xenophon de Cyri expeditione: καὶ γὰρ Ἰατροὶ τέμνουσι, καὶ καίουσιν ἐπ' ἀγαθῷ; *quando & Medici ſecant, & urunt utilitatis cauſa* [4]. Latinorum vero ſcriptorum id ipſum teſtantium primus accedat Aelius Lampridius, qui poſtquam ridiculum illud Commodi ſtudium enarravit, omnia quae eſſent Romanis peregrina, & a dignitate ſua aliena aemulandi, ait: *imitatus eſt & Medicum, ut ſanguinem hominibus mitteret ſcalpris feralibus* [5]. Rurſus Medicum venas incidere, & vulnera exſiccare apud Ciceronem [6], Senecam [7], Gelliumque [8] legimus. Neque hoc ideo factum putes, quod *Medici* vocabulum latius transferretur, hocque ipſo nomine comprehenderentur *Dietetici, Vulnerarii, Iatraliptae &c.* Nam, conſtituto inter Medicos diſcrimine, priori huic communi vocabulo alterum nectebatur proprium, appellativum, *ſpecificum*, quo uniuſcujuſque munus ſingillatim internoſceretur, ut MEDICVS CLINICVS = MEDICVS OCVLARIVS = MEDICVS

1 *Iliad*. Δ. *v*. 218.
2 *Iliad*. E. *v*.401.
3 Stephanus Byzantinus *in v*. Συρνα.
4 *Lib*. v. Dodvvelli. *Oxonii* 1703.
5 *Inter Scriptores Hiſtor. Auguſt.* cap. II. *Lugd. Batav.* 1671.
6 *In Piſon. c.* XXXIV.
7 *Epiſt.* VII. *edit. Amſtelod.* 1672.
8 *Noctes Atticae lib.* XII. *cap.* V. *Elzivir.* 1651.

Digitized by Google

cvs Chirvrgvs [1]. Quapropter ubi Medici nomen ſolitarie ponitur, eum deſignari puto, qui omnes omnino partes unus profitebatur. Ceterum quum Archagathum ob ſecandi, urendique ſaevitiam carnificem apud Romanos audiſſe a Plinio tradatur [2], & Galenus ſe aliquoties venas ferro aperuiſſe affirmet [3], in dubitationem adduci minime poteſt, inſignes Archiatros manu etiam conſueviſſe mederi.

Ne interim illud diſſimulem, quod huic cauſſae inſigniter, maximeque ſuffragatur, veteres Juriſconſultos excitabo teſtes, quorum edicta rem manifeſtam deferunt. Omnium inſtar eſto Julius Paullus, qui *l. cum de lanionis* 18. *§.* 10. *in inſtrumento ff. de fund. inſtruct. vel inſtrum. legat.* haec habet: *in inſtrumento Medici eſſe collyria, & emplaſtra, & cetera ejus generis, Caſſius ſcribit*. Rurſum *lib.* III. *Sententiar. Tit.* 8. *§.* 65. adhuc apertius ſancivit: *Inſtrumento Medici legato collyria, & emplaſtra, & apparatus omnis conficiendorum medicamentorum, itemque ferramenta legato cedunt* [4]. Jam vero quorſum publicis tabulis decretum, ut quum medica ſupellex legaretur, jure legati accreſceret omnis apparatus inſtrumentorum, quae pharmachis conficiendis, aut ſectionibus deſerviunt, niſi ea eſſent propria, individua, & neceſſaria artis praeſidia [5]? Deſierunt equidem Archiatri, mutato vetere inſtituto, remedia manu ſua praeparare, totumque id Seplaſiariis permiſerunt, quod tamen nonniſi magno infirmorum diſpendio, ac periculo accidiſſe, Medicis jure exprobrabat Plinius. *Atque haec omnia* (de varia medicamen-

1 Apud Aegyptios nulla non in re immoderatos Medicorum turba in immenſum excrevit. Nam ars ſalutaris ſic penes illos erat diſtributa, ut ſingulorum morborum ſinguli eſſent Medici; quare Herodotus merito dixit: Πάντα δ' ἰατρῶν ἐστὶ πλέα, *omnia itaque referta ſunt Medicis*. In Euterpe ſive *lib.* II. *Lugd. Batav.* 1715.

2 *Loc. cit.*

3 *De curat per miſſion. ſanguin. opp. claſſ.* III. *edit. Venet.* 1565.

4 Coaevus Paullo Domitius Vulpianus, a quo praeterea edicitur, *l.* 4. *§. ult. ad legem Corneliam*, Medico capitale futurum fore, ſi liberum, ſervumve nolentem eviraverit; ex quo intelligitur, Medicos quamcumque chirugicam operationem per ſe explevisse, & ideo ex *l. Aquilia* actio datur adverſus *Medicum*, qui imperite ſervum ſecuerit.

5 Eruditae juriſprudentiae parens Cujacius ad Jul. Paul. *Opp. tom.* 1. *pag.* 434. *edit. Neapol.* 1722. ita interpretatur. *Medici ergo ſunt hi, qui medicamenta conficiunt, vulnera curant, cucurbitas admovent, item qui circumcidunt &c.*

camentorum natura, ac mixtione loquebatur) *Medicorum, quod pace eorum dixiſſe liceat, ignorat pars major & nomina: intantum a conficiendis medicamentis abſunt, quod eſſe proprium medicinae ſolebat* [1].

Nunc tibi ad oculos iterum referas, mi RONCALLE, Ἰατρὸν ἐπιδίφριον, & quae illi veſtis, qui geſtus, quae decoramenta ab artifice ſint tributa, intuere. Decebat profecto, ut Medicus ſtola Graecanica, ſeu tribonio quadrangulo donaretur, quo non Philoſophi modo, ſed omnium artium liberalium magiſtri, tamquam indumento hominis a luxu abhorrentis proprio, contegebantur [2]. Expreſſe enim Tertullianus ſcriptum reliquit: *de meo veſtiuntur & primus informator litterarum, & primus edomator vocis, & primus numerorum arenarius, & grammaticus, & rhetor, & ſophiſta, & MEDICVS, & poeta, & qui muſicam pulſat, & qui ſtellarem conjectat. Omnis liberalitas ſtudiorum quatuor meis angulis tegitur* [3]. Nec dubito, quum in publicum eſſet prodeundum, Medicos Graecos tribonio, vel ἱματίῳ fuiſſe uſos, ſine quo in hominum conſpectum, in oculos civitatis venire, gravibus, ſapientiſſimiſque viris indecorum fuiſſe, ex Ariſtophane, Laertio, Luciano, & Athenaeo intelligimus. Sed aliam abſque dubio neceſſe eſt, extitiſſe domeſticam veſtem his, qui quamvis ſapientiam profiterentur, χειροτέχνοι tamen fuerant. Hoc igitur etiam in laude, ac commendatione quadratarii ponendum eſt, quod Medico in officina operanti στολὴν Ἑλληνικὴν conſtrictis manicis, ἐπενδύτῃ, ſive χιτῶνι ſuperpoſitam, & ad talos uſque demiſſam dederit. Nudato etiam capite illum conſiderate, cogitateque effinxit; non enim invecti pilei, nec rejectum in caput pallium, niſi ad frigus, ad imbrem, aeſtumve arcendum, quibus in taberna, minime ſub dio poſita, moleſte affici haud poterat. Sane Hippocrates

O

1 *H. N. lib.* XXXIV. *cap.* XI. Salmaſius ad c. Julii Solini Polyhiſtora *tom.* II. *pag.* 1051. Plinii locum expendens haec addit. *Apud Seplaſiarios omnis* ὕλη ἰατρικὴ *proſtabat. Inde emebant Medici, quorum munus olim fuit non ſolum praeſcribere remedia, ſed etiam manu facere.*

2 Fruſtra huc a me comportarentur, quae de pallio, tribonio, aliiſque indumentis philoſophis uſitatis Bayſius, Rubenius, Ferrarius, ceterique de Re veſtiaria ſcriptores dixere. Adiri potius volo *Chriſtiani Guil. Franc. Walchii Antiquitates Pallii Philoſophici ſect.* 1. *Jenae* 1746.

3 *De Pallio cap.* V. cum not. Salmaſii. *Lugdun. Batav.* 1656.

crates Coum ſidus, princepſque medentum galeritus, aut pileatus ab artificibus vetuſta quadam imbutis opinione pingebatur, quod ſingulari ſuo more caput jugiter obtexiſſe crederetur. Cujus quidem moris variae afferuntur cauſſae. Soranus Meleſius hoc ab Hippocrate factum ſcribit[1] vel *δι' εὐπρεπίαν decoris gratia*, quum eſſet recalvaſter, vel *διὰ παράσημον εὐγενείας in ſignum nobilitatis*. Suidas[2] *διὰ τὸ ἴδιον ἐν ταῖς χειρουργίαις ob peculiarem in chirurgia morem*, vel *διὰ τὸ φιλαπόδημον, ob peregrinandi ſtudium*, quo plurimum flagrabat. Tzetzes[3] aliam addit cauſſam, cur caput operiret, ſcilicet.

Δεικνὺς τοῦ λογισμοῦ ὄργανον ταύτην εἶναι,
Oſtendens ratiocinationis inſtrumentum illud eſſe.

Sed multa ex his videntur ingenioſe potius, quam vere excogitata; nec puto ſane, Hippocratem velato capite inceſſiſſe ex artis more, aut alia cauſſa emendicata, dictuque ſpecioſa, ſed quod natura ipſa calveret, & κεφαλαλγίᾳ laboraret[4].

Geſtum, quo noſter Medicus manum componit, ipſiſſimis Apuleii verbis deſcribere par eſt. *Porrigit dexteram, & inſtar Oratorum conformat articulos, duobuſque infimis concluſis digitis, ceteros eminus porrigens*[4]. Hac ipſa digitorum diſpoſitione, qua Oratores concionem auſpicabantur effic̄ti perſaepe viſuntur in ſarcophagis, gemmiſque etiam Philoſophi, quos ſimiliter geſticulari conſueviſſe, credendum eſt. Laeva autem manu *volumen*, ſeu librum in ſcapum convolutum gerit. Quamuis Mazocchio meo perſuaſum ſit, libros bipatentes, πολυπτύχους, pugillaria, codicillos his, qui in cylindri modum bacilli convolvebantur fuiſſe antiquiores[5], volumina tamen prae ceteris libris Philoſophis frequentius data ſunt in vetuſtis Graecorum anaglyphis, ut exinde nihil de antiquitate poſſit noſtro marmori detra-

1 *In vita Hippocrat.* praefixa opp. edit. Pariſienſis. De Archiatris, quibus idem *Sorani* nomen. V. Clericum *H. M. lib.* IV. *ſect.* I. *cap.* IV.

2 *Loc. cit.*

3 *Hiſtoriar.* VII. *Chiliad.* CLV. inter Poet. Gr. *Aureliae Allobrogum* 1606.

4 Tzetzes *ibi*.

5 *De Aſino Aureo lib.* II. cum var. *Baſileae* 1620.

6 *Diatribe de librorum bipatentium, & convolutorum antiquitate. Neapoli* 1743.

detrahi. *Sellam* praeterea, quaſi in ſapientiae, ſummique honoris argumentum fuiſſe tributam, plura ſunt apud Cl. Nixon in explicatione *Marmoris Eſtoniani* [1], quibus a me largius doceri poſſet, niſi ſatietatem longae orationis effugere fas eſſet. Alterum decoris ſignum fortaſſe eſt *ſcabellum, ſuppoſitorium, ſubſellium*, quod primo ad dignitatem augendam Perſas excogitaſſe, tradit Clemens Alexandrinus [2], veteresque omnes pro honoris indicio habuiſſe, probat Chimentellius ad *Marmor Piſanum* [3]; quo quidem *ὑποποδίῳ* inniti Medicum hic videmus. Vt autem pro inſtituti, ſuſceptique operis ratione aliorum etiam monumentorum compoſitione, collationeque dictis fidem faciam, patere, picturas Codicis Dioſcoridiani Bibliothecae Vindobonenſis tibi a me in animum reduci. Bina Medicorum concilia inter ſe ſe diſputantium exhibent picta duo ſchemata a Lambecio prolata [4]. In priori quidem, in quo vetuſtiores medicinae inventores humili ſcamnulo ſedent, principem, mediumque tenet locum antiquiſſimus ΧΕΙΡΩΝ, a quo *τὴν ἰατρικὴν διὰ Βοτανῶν* inventam perhibent, pene nudus, & villoſa epomide ad collum religata. Aliter ΜΑΧΑΟΝ, qui illi dextrorſum adſidet, praelongo enim habitu induitur, & librum *δίπτυχον* geſtat. Huic ſuccedit ΠΑΜΦΙΛΟΣ, Cynicum in modum pallio vix coopertus [5]; quemadmodum & ΞΕΝΟΚΡΑΤΗΣ Aphrodiſius ei proximus. Laevum latus occupant ΝΙΓΡΟΣ Sextius, ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ Tarentinus, ejuſque ſectator ΜΑΝΤΙΑΣ Ille quidem *volumen*, poſtremi duo *librum quadratum* manu tenent; omnes vero fuſa, & talari veſte, ac pallio corpori varie circumplicato amiciuntur. In ſecundo ſchemate conventus eſt recentiorum Medicorum, primusque in ſella fulcro dorſuali, & hipopodio munita ſtat ΓΑΛΗΝΟΣ, qui more Hippocratico caput pallio contegit. Conſident hinc ΚΡΑΤΕΥΑΣ, Medicus herbarius nudo corpore umbilico tenus;

1 *De Sella Marmorea Votiva Eſtoniae adſervata. Londini* 1744.

2 *Stromat. lib.* I. *cap.* XVI. *Oxonii* 1715.

3 *De honore Biſelii. Bononiae* 1666.

4 *Commentar. Bibl. Vindobon. l.* II. *cap.* VII. *pag.* 525. 550.

5 Cynici non a Graecis modo, ſed a Latinis etiam *ἡμίγυμνοι*, *ſeminudi* dicebantur, quod revera vix aliquam partem veſte cooperirent, humeris, brachiis, pectore, cruribus omnino nudatis. Lucianus *Sympos.* Antoninus Imp. *Eorum, quae ad ſe ipſum lib.* IV. §. 30. Seneca, *Epiſt.* XX. ſanctus Cyprianus *de bono patientiae* &c. aliique penes Walchium *lib. ſupra indic. Sect.* I. §. XII.

ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ Mephita, ex ἱματίῳ multipliciter corrugato, ac reducto dexteram exerens, qua, digitis auriculari, annularique complicatis, ceteriſque erectis geſticulatur; & ΑΝΔΡΕΑΣ, cui ob magnum in re medica praeſtigiarum uſum τῦ θαυμαςῦ agnomentum inditum fuerat. Illinc autem ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΗΣ Anazarbenus, eodem modo, quo Apollonius depictus [1]; ΝΙΚΑΝΔΡΟΣ Colophonius, hiſtoricus, grammaticus, poëta, qui, quum poëma περὶ τῶν ζοῶν φαρμακώδῶν, & de remediis contra venena exaraſſet, hic a pictore commodiſſime ſiniſtra manu viperam irritans, morſumque illius quaſi irridens repraeſentatur. Poſtremus in coetu eſt ΡΟΥΦΟΣ Epheſius. Jam vero ex tota harum tabularum affiguratione intelligimus, Graecis uſitatum fuiſſe, Medicos intra conclave in ſella cum hipopodio pennicillo exprimere, promiſſa, duplicique veſte ornare, eiſdemque illarum rerum indicia tribuere, proximeque appingere, in quibus potiſſimum excelluiſſe credebantur. Quapropter nihil eſt in noſtro marmore, quod cum communi Graecorum conſuetudine in Medicis pingendis non apprime conſentiat.

Verum qui tantum accurationis poſuerat in Medici perſona ſcalpro fingenda, ſane nihilo minus fuit induſtrior in ſex illis chirurgicis ferramentis, diptycho geſtatili incluſis, ſumma cum diligentia efformandis: quorum aliud exemplar hic ſeorſim ad archetypi fidem delineatum, ob oculos ponere, ſupervacuum viſum eſt, quandoquidem in marmoris ſchemate, licet ſint illa plurimum deminuta, ſtudioſe tamen reddita recognovimus. Ne tamen illud cogites, V. Cl. eo animo, conſilioque id me negotii ſuſcepiſſe, ut propoſitis recentium Phyſicorum inventis, oſtendam, quam longius noſtris temporibus ea medicinae pars, quae humani corporis organa contemplatur, eorumque morbis manu ſuccurrit, feliciter progreſſa ſit, factaque illuſtrior; aut quantum antiquis Medicis, qui valetudini aut ſervandae, aut reſtituendae plura in chirurgica arte invenerunt, noſtri debeant, patefaciam. Haec tu perfacile videre poteris, & quae ex his ferramentis in medicinam

1 Altera pictura in eodem libro a Lambecio *pag. 566.* ſubijcitur, referens Dioſcoridis tabernam, in qua ille ſella ſatis alta, & ſcabello ornata ſedet, canem prae ſe habens, qui poſt evulſam *Mandragoram nigram* ſenſim langueſcit, extremoſque edit vitae ſpiritus: de qua fortaſſe populari opinione aliquid litteris Dioſcorides mandarat.

Digitized by Google

cinam promanarit commoda aeſtimare; denique quid Hippocrates, quid Galenus, quid Paullus Aegineta, Aëtius, ceterique Graeci chirurgi deinceps addiderint, docere. Id unice a me, cui haec ſtudia vix, ac ne vix cognita ſunt, in praeſentia poſtulari intelligo, ut Inſtrumentorum nomina, eorumque uſus leviter, quaſique in tranſitu ex veterum ſcriptorum libris depromam. In quo tamen plura me dicere poſſe confiderem, ſi thecas illas chirurgicas inter parietinas celeberrimae urbis Veſevi conflagratione vaſtatae ante paucos annos repertas, oculis uſurpare licuiſſet; quibus contineri novimus ſcalpros acutiores, retuſos, exciſorios, dentiſcalpia, ſpathas, catheteres, uncos, hamos, cucurbitas, forcipes, volſellas, aliaque ad curationem neceſſaria inſtrumenta [1]. Accipe ergo, bonique conſule, qualemcumque harum rerum explicationem adornare nobis permiſſum eſt.

PERBREVIS DECLARATIO FERRAMENTORVM,

Quae facilioris intelligentiae cauſſa, ſuperſcriptis Graeci alphabeti elementis, ſingillatim indicantur.

A. Κῆϛρον, Ξυρὸν, Μαχαίϱιον ἐκκοπτικὸν, *Radula, Novacula, Culter exciſorius*, ad polypos, & verrucas exſcindendas, ad foetum Caeſareum, ad tondendum &c. Meminere hujus inſtrumenti Hippocrates *de capitis vuln.* Galenus *Anat. adm.* [2]. Nicander in *Theriaca*, *&* *Alexipharmac.*, Paullus Aegineta, Scribonius Largus [3] &c.

B. Aliud

1 *Catalogo degli antichi Monumenti, diſſoterrati nell' Ercolano*; *opera di M. O. Bajardi. Tom. 1. pag. 358. e ſeg. Napoli 1754.*

2 In deſcribendis Hippocratis, & Galeni locis, uſi ſumus editione Pariſienſi horum Medicinae principum, quam ſuperius indicavimus.

3 Libellus Nicandri eſt inter Poetas Graecos veteres *Tom. 1. Aureliae Allobrog. 1606.* Aeginetae, Scribonii, Oribaſii opera excitamus ex collectione Henrici Stephani: *Medicae artis Principes. Pariſiis 1567.*

Digitized by Google

B. Aliud chirurgicum cultrum laminae aliquanto plus expaſſae, fortaſſe ad corporis membra in exercitationibus anatomicis amputanda. Plures cultrorum formas habes in *Armamentario chirurgico* Sculteti.

Γ. Κοπὰς δρεπανοειδὴς, *Scalper falcatus*, fortaſſe etiam & ἐπικοπτικὸς, ad calloſos, longoſque abſceſſus vulgo *Fiſtulas*, ad vomicam, furunculos, apoſtemata in faucibus, aliiſque ſinuoſis corporis partibus ſecanda. Aegineta *lib.* III. Celſus *lib.* VII.

Δ. Ἀκανθάβολος, ſeu λαβὶς, inſtrumentum pro extrahendis ſpiculis, ſpinis, pilis, turundis, de quo Aegineta *lib.* VI. Celſo *lib.* VII. *Volſella* dicitur. Speciem videtur etiam referre Πυράγμας, vel ψαλίδος, ideſt *Forcipis*, ſeu *Forſiculae*, qua ignita teneri, verſarique, vas ſanguineum laqueo conſtringendum apprehendi, calculus eximi, & ceterae hujuſmodi operationes praeſtari commodum poſſint. Forcipes Medico tribuuntur a Soſipatro; Forficum etiam mentio eſt apud Oribaſium *de Mach.*

E. Putaram primo Ἄγκιστρον, *hamum*, ſeu *uncum* eſſe, cujus in medicina multiplex uſus; ſed quum inferne ſit maxime acutus, tenuiterque cuſpidatus, meum judicium eſt, pro Ξυστῆρι, ſeu ſcalpello inciſorio haberi poſſe, quo φλεβοτόμος ad venae ſectionem uteretur. In duos ſuperne diducitur ramos; & niſi me fallit animus, ideo biceps, ut a Medico digitis facilius conſtringi poſſet ad venam ſagaci ictu feriendam. Hujuſmodi ſcilicet eſſe oportere ſcalpellum, videtur innuere Galenus de venae ſectione adverſus Chryſippum, ejuſque auditorem Eraſiſtratum, qui φλεβοτομίαν e medicina eliminarant.

Z. Aliud Volſellae genus. An forte Ὀδοντάγρα, *dentiducum*? Diverſa forcipum genera paeſto ſunt in Aquapendente, Paraeo, Hildano, Sculteto, Heiſterio, atque in uberrimo, noviſſimoque Jameſii Lexico, a quibus ſcriptoribus varii illarum uſus late explicantur. Quod reliquum eſt, jam expediamus.

Monuimus quidem paullo ante, veteres Medicos pharmachis componendis, miſcendiſque manus admoviſſe, ſed nihil id prohibet, quominus ſervos, aut pueros haberent, quibus hoc officium demandarent, ut in medicamentis tractandis exercerentur, & omnem artis rationem, inſtitutionemque uſu ipſo perciperent. Porro id jam ſapienter animadverterat Olympiodorus

in

in Gorgiam Platonis : *ὁ μὲν Ἰατρὸς ἐπιτάττει, ὁ δὲ πιγμενταρίος διακονεῖ τὰ πρὸς χρείαν δ᾽ἐξεπίζων*, *Medicus quidem mandat, Pigmentarius vero miniſtrat, & quae ſunt neceſſaria praeparat* [1]. Aptiſſime itaque navus lapicida inter ſedentem Medicum, & abacum miniſtrum pigmentarium penula amictum ſculpſit, qui medicamentum tenacioris temperaturae, velut ceratum, *συγχρίμα, κατάπλασμα* pulti ſimile linteo, aut alutae, ſive chartae ſuperinductum praeceptori ſuo exhibere videtur; quod quum ex illius praeſcripto paraverit recognoſcendum profert. Atque id totum fortaſſe factum in gratiam adſtantis Mulieris demiſſa ad talos toga, honeſtaque palla indutae, quae ore languidulo, totoque corporis habitu, mala valetudine teneri ſe oſtendit, defixiſque in loquentem Medicum oculis, cui morbum jam narravit, ab illius praeſcriptione opem, auxiliumque praeſtolari, & arripere videtur. Quae ſi diſcalceata, & nudipes ad medicam tabernam venit, nihil illa praeſtitit a Graecis moribus abnorme. Nam ne quid dicam de Cretenſi juventute, quam nudipedem inceſſiſſe, ſcribit Nicolaus Damaſcenus [2]: an non excalceatos in urbem prodiiſſe Pythagoricos [3], Socratem [4], Ajacem, & Achillem [5], Theſeum Atticum [6], Phocionem [7], alioſque [8] novimus? *Ἀνυποδησίαν* praeterea a Muſonio Philoſopho in libro de veſtimentis [9] ſummopere commendari compertum eſt. Quid vero ſi Medicum adiit poſt adorata in fanis numina, poſt vota Diis ſalutaribus, & Averruncis, ut convaleſceret, nuncupata? Certe quum in graves, & miſerabiles caſus inciderent Ethnici, rebuſque premerentur adverſis, Superis, detractis ſoleis, ſupplicabant. Tertullianum ex multis teſtem advoco, a quo ſcribitur in hunc modum : *Omnem ταπεινοφρόνησιν Ethnici agnoſcunt. Quum ſtupet coelum, & aret annus, Nudipedalia enunciant* [10]. Rurſus

1 Inter Platonicos Graecos Aldi. *Venetiis* 1537.

2 Apud Joh. Stobaeum *Serm. XLII. Aureliae Allobrogum* 1609.

3 Athenaeus *lib. IV. cap.* XVII.

4 Ariſtophanes *in Nubibus*. Edit. Kuſt. *Amſtelod.* 1710.

5 *Philoſtratus ep.* XXII. *Pariſiis* 1608.

6 Lucianus *in Cynico*.

7 Plutarchus *Vit.*

8 Idem de Catone Uticenſi Horatius *lib. I. ep.* XIX. de Rom. Senatoribus in Reipb. primordiis vetus Scholiaſtes Juvenalis, *Satyr.* I. *Pariſ.* 1644. de Nerone Svetonius *cap.* LI.

9 Apud Caſparem Sagittarium *de Nudipedalibus*. *Roterodami* 1699.

10 *De jejunio lib.* I. Rigaltii. *Lutetiae* 1664.

ſus ſic illos in Apologetico vituperat: *Jovi immolatis* (pro imbribus impetrandis) *& Nudipedalia populo denunciatis* [1] . Ea quoque reverentia Diis aliquando adhibita, ut in eorum aedium limine calceamenta abjicerentur . Cretenſes Dianae fanum, praeterquam nudis pedibus, ingredi ſibi permiſſum rebantur [2], ſic & Romanae Matronae, quum Deae Veſtae vota concipiebant [3] , aut ſacra Magnae Deum Matri faciebant [4] . Graecas vero mulieres in honorem Cereris urbem diſcalceatas curſitaſſe, a Callimacho proditum eſt [5] . Quae quum ita ſint, Femina hoc in marmore ſive domo ſua, ſive e loco ſacro egreſſa fingatur, ut vel a Coelitibus, vel a Medico priſtina valetudo ſibi reſtitueretur, non inconvenienter ἀνυπόδητος depingitur.

Illud potius magnam videtur habere dubitationem, mulierem aegrotantem non carpento aliquo, caruca, aut rheda, ſed equo vectam ad Medicum e longinquo veniſſe. Adeone parum, dum male valeret, commodo ſuo ſtudebat? Argumentum ſpecie tenus non leve ad noſtram interpretationem excludendam, ſed reipſa frivolum dictu, perperamque quaeſitum . Nam quum in Peloponneſo viae qua montibus, qua ſaltibus intercíperentur [6] , non ubique veriſimiliter rotabiles erant, ita ut

ex

1 *Cap.* XL.

2 Solinus *Polybiſtor. cap.* XVI. Salmaſii.

3 Ovid. *Faſtor.* VI. Florus *lib.* I. *cap.* XIII. Grevii, *Trajecti ad Rhen.* 1680.

4 Prudentius ΠΕΡΙ ΣΤΕΦ . *Hymn. XIV. cum. not. Chamillard Pariſiis* 1687.

5 *Hymn. Cereris*. Edit. Spanhemii *Vltraj.* 1697. Dubitaveram primo, an mulier hoc in anaglypho expreſſa MEDICA potius foret dicenda . Morbis enim Feminarum curandis mulieres etiam operam dediſſe, permulta ſunt, quae manifeſto oſtendunt . Nam ne quid memorem Angitiam, Medeam, Polydamnam, Panacaeam, ceteraſque aetatis fabularis medicas, artem hanc factitaſſe Fabullam Lybicam, eſt apud Galenum; Salvinam, & Leopardam ſcribit Theodorus Priſcianus, Olympiam Thebanam, Sotiram, & Salpen memoriae prodit Plinius. Interdictum id quidem aliquando ab Athenienſibus (Hyginus *Fab. cap.* CCLXXIV. *Mythograph. Latin. Amſtelod.* 1681.), ſed in tota propemodum Graecia retentum fuiſſe, ex allatis exemplis in promptu eſt. Penes Romanos morem hunc obtinuiſſe, perſpicuum omnino tum ex marmoribus, memoriae SENTIAE . ELIDI . MEDICAE -- IVLIAE. SABINAE. MEDICAE. dedicatis, quae recenſentur a Joh. Rhodio in adnot. ad Scribonium Largum, tum ex illo Martialis *l.* XI. *epig.* LXXII.

Protinus accedunt Medici, MEDI-
CAEQVE *recedunt*.

6 Strabo *lib.* VIII. Pauſanias *in Meſſenicis*.

ex una in alteram provinciam, vel etiam civitatem migrantibus, relicto curru, fas quandoque eſſet in equum conſcendere; quod huic mulieri, Medici fama allectae, & ex patriis laribus ad illum proficiſcenti facile potuit eveniſſe. Equus enim pone illam ephippio inſtratus, & ſervus a pedibus, correptis frenis illum detinens ſatis probabilem efficiunt conjecturam, utrumque in illius eſſe miniſterio, ac famulatu. Sed in re medica quoniam omnis nunc verſatur oratio, libet mihi ex medicina alteram etiam conjecturam capere. Quid enim, ſi dixero, equum a quadratario fuiſſe adpoſitum, ut remedium Feminae, ſuis temporibus fortaſſe notiſſimae, a Medico praeſcriptum indicaret? Equi vectationem procul dubio nonnullis morbis depellendis aptiſſimam veteres crediderunt, tum inter exercitia Medicinae Gymnaſticae ſanitati tuendae accommodata recenſuit Mercurialis [1]. Stomachi, & ventriculi vitiis, intertrigini atterendae equitationem utiliſſimam eſſe, Plinius affirmat [2]; debili, laſſoque corpori equitatione vigorem adjici, Seneca jam praemonuit [3], & Caligulam crurum gracilitate laborantem equi vectatione convaluiſſe, a Svetonio proditur [4]. Itaque incredibile minime eſt, mulierem hanc, indicta ſibi a Medico equitatione, ex his morbis mire, feliciterque evaſiſſe: quae quum pro aſſerta ſibi valetudine monumentum Archiatro ponere vellet, quo aptiori nam modo rem univerſam declarare, eamque poſterorum oculis ſubjicere poterat? Non abnuerim tamen, equum, ſervumque ad feminam poſſe nullatenus pertinere, & Mediaſtinum hunc nuntium fortaſſe miſſum fuiſſe, ut nomine heri ſui, exitiali morbo decumbentis remedia ſciſcitetur, vel Medicum rogatum veniſſe, ut ad illum inviſendum accedat, & ob id equum vectarium adduxiſſe. Niſi audax, & generoſa eſſet equi effigies, dubitari etiam poſſet, num & Ἱππιατρὸς hoc in anaglypto opere exhibeatur. Ἱππιατρικὴ apud Graecos ſic in pretio habita, ut huic animum, operamque adjungerent non ex infima multitudine homines, ſed Medici ſumma commendatione florentes. Enimvero, ut miſſum faciam Hippocratis libellum de medicina equaria,

P qui

1 *De Re Gymn. lib.* III. *cap.* VIII. *Venetiis* 1587.

2 *H. N. lib.* XXVIII. *cap.* IV. *c.* XV.

3 *De Tranquill. anim. cap.* XV.

4 *In Calig. cap.* III.

qui, licet exſtet inter ipſius genuinos foetus *Tomo* x. edit. Carteri, & *Tomo* II. edit. Vander-Linden, Italice etiam redditus ſit a Jordano Ruffo nobili Calabro, Imperatoris Friderici equorum Magiſtro, jure tamen dubiae fidei habetur, meritoque ad apocryphos rejicitur; nihilominus rem Veterinariam ſummo ſtudio excoluiſſe ſcimus inſignes, doctoſque viros Pelagonium, Hieroclem, Abſirtum, Theomneſtum, Anatolium, Heumelum, Hemerium, &c. quorum ſcripta Coſtantinus Porphyrogenneta ſedulo colligi mandavit [1]. Sed, quod jam ante denunciavi, de Medico Equario hic nullum indicium. Abeamus ergo hinc, & quia in uno genere plus aequo verſati ſumus, cetera diſpiciamus.

Nullum denique erat ſymbolum, quo Medica taberna aptius diſtingui, perornarique poſſet, quam Serpens, conſtans, notiſſimuſque apud veteres bonae valetudinis, proſperaeque ſanationis index, eamque ob rem non modo Aeſculapio Medicorum χορηγῷ, & Hygiae ſalutis Deae comes jugiter datus, ſed ab Epidauriis primum, deinde ab alis Graeciae populis, ut Deus cultus, & in publica pecunia ΣΩΤΗΡ appellatus. Porro quum in Antiquitatibus Cuprensibus cauſſas ex Hygino, & Theodoreto recenſuerim, ob quos Ethnica antiquitas hanc ſalutis indicationem Serpenti definite adjudicarit [2]; ſi id mihi tribuitur auctoritatis, libellum hunc adiri volo, ne quae cum a multis ſplendidius [3], tum a me ipſo copioſe explicata ſunt, iterato

1 Latine vertit Johannes Ruellius, ediditque *in fol. Baſileae* 1530. Quibus adnectendi Georgii Simonis Winteri libri, *de Re Equaria*, *Norimbergae* 1672. & *Hippiater expertus*, *ſeu de Medicina Equaria*, *Ibidem* 1676. In latinis, praeter Vegetium, ſcriptores *de Re Ruſtica* Columella, Varro, Palladius nonnihil de equis flectendis, edomandis, medendiſque obſervarunt. Artem hanc univerſam per hoc tempus, ingenuo quodam liberalique ſtudio ductus, plurimum illuſtravit, auxitque ſuis de re veterinaria, & Hippiatrica libris Comes Franciſcus Bonzius Patritius Ariminenſis.

2 *Delle antichità di Ripatranſone Diſſert* §.IV. *Venezia* 1742. Opus hoc in latinum tranſmiſſum, retractatius, & inſigniter auctum propediem, adſpirante Deo, praelo excudendum trademus.

3 Praeter Triſtanum, Spanhemium, Bonarrotium in explicatione nummorum Commodi, Antonini Pii, Nicaeenſium &c. multa in hanc rem egregie ſcripſere Claudius Groſeus de Boze, olim Regiae noſtrae Academiae ornamentum: *Diſſertation ſur le culte que les Anciens ont rendu a la Deeſſe de la Santè*; *à Paris* 1705., quam latine verſam edidit Chriſtoph. Wolterekius in *Electis Rei nummariae*, *Hamburgi* 1709. Guillelmus Muſgrave *de Dea ſalute*, *Oxonii* 1716. Polycarpus Leyſerus *de ſalute Auguſti ex nummis*, *Helmſtadii* 1723.

rato proferre reprehendar. Illud tamen ſi perquiſiveris, cur ſculptor ſerpentem arbori in ſpiras circumvolutum expreſſerit, dicam, ex veterum fabularum praeſcriptione id recte feciſſe, & ipſius Epidaurii anguis ſimulacrum hoc loco reddere voluiſſe. Etenim Valerius Maximus deſcribens Romanorum Legatos, qui civitate peſtilentia triennio vexata in Peloponneſum conceſſerant, ut pro Reipub. ſalute Aeſculapii expoſcerent oracula, tandemque anno V. C. CDLXII. ex Epidauro reverterunt, ſic teſtatur. *Proſperam emenſi navigationem, poſtquam Antium appulerunt, Anguis, qui ubique in navigio remanſerat, prolapſus in veſtibulo Aedis Aeſculapii, myrto frequentibus ramis diffuſae, ſupereminentem excelſae altitudinis palmam circumdedit* [1]: quo oſtento Romanis ſanitatem denunciare creditus eſt. Ita ſolers, hujuſque tam obfirmatae opinionis non ignarus artifex, nullo potiore emblemate ſignificare ſe poſſe putavit, in ea officina ab Archiatro ſcientiſſimo morbos depelli, vireſque infirmis reſtitui, quam ſi anguem Epidauri eo ipſo geſtu effingeret, quo Latio in littore Quirites in bonam ſpem erexit.

Primam hujuſcemodi Ὀφιολατρείας originem ſi ſcrutari velimus, &, quod eſt probabilius, eruere conemur, tres praecipue numerantur a Joh. Chriſtiano Kochio in eleganti, pereruditoque libro *de Cultu Serpentum* [2] ſcriptorum ſententiae, qui eam ex diverſis prorſus accerſunt principiis. A ſerpente primorum hominum ſeductore, & Protoplaſtorum lapſu ſerpentum cultum nonnulli repetendum exiſtimant, Clementis Alexandrini potiſſimum fiſi auctoritate, provocantque ad ſerpentem in Orgiis myſticum, ſuetamque furibundorum hominum vociferationem, *EVOEA*, quam de nomine EVAE primae mortalium matris ductam opinantur. Quam quidem ſententiam non ita abſurde prolatam cenſuit Begerus [3]. Fieri tamen vix poſſe, ut doctioribus ea probetur, animadvertit Potterus ad Clementem Alexandrinum. Siquidem EVAE nomen non ſolum adſpirationem apud Graecos ſibi depoſcit, ſed etiam, Heſychio teſte, Εὐὰν eſt

 ὀκισός

1 *Memorabilium exemplorum lib.* I. *cap.* VIII. *ſ.* 2. Edit. Cantellii. *Pariſiis* 1679.

2 *Diſſertatio Theologico Hiſtorico Philologico Litteraria de cultu Serpentum apud antiquos cap.* I. *Sect.* II. *& ſequ. Lipſiae* 1718.

3 *De nummis Cretenſium ſerpentiferis &c.*

ὀκιασὸς ὑπὸ ἰνδῶν, qua herba, ut eſt in fabulis, Bacchus coronatus eſt [1]. Adde huc, quod nondum idoneis, perſpicuiſque argumentis evictum eſt, Ethnicos notitiam habuiſſe de primaeva mali labe, criminiſque contagione, quae omne corripuit humanum genus. Si enim illis perſpectum fuiſſet, quanto aerumnarum cumulo diabolus, ſerpentis induens formam, Adami propaginem oneraverat, ſerpentes magis execraſſent, quam divinis affeciſſent honoribus. In eo autem omnes conſentiunt, fauſti ominis ergo veteres in hanc ſuperſtitionem conceſſiſſe, & ne ſcio quid boni in anguibus latere ſibi ſemper perſuaſiſſe. Altera ſententia eſt Ricardi Meadii, qui in libro *de Venenis* [2] pro certo ſtatuit, antiquos credidiſſe, ſerpentes unice a Divina Nemeſi in poenam hominum productos, eoſque, ne veneno, morſuve nocerent, coluiſſe, ſacriſque placaſſe: quae ſi vera ſunt, metus ergo ſerpentes Deos fecit. At quominus Meadio aſſentiamur, nos dehortatur, quod veteres nequaquam ſibi ab anguibus metuerent, ſed cum his potius fallendi cauſſa luſerint, nec tam ad avertenda mala, quam ad bona impetranda Deos ſub ſerpentum forma finxerint. Nonne ut Boni Genii domi libentiſſime excepti, ſedulo innutriti, blanditiiſque omnibus allecti? Sunt haec tam acri judicio, tantaque doctrinae ubertate a viro ſummo Johanne Lamio diſputata, ut plura dicendi cuivis praereptus ſit locus [3]. Itaque illorum potius commendanda, amplexandaque ſententia, qui huius cultus primordia veroſimilius a *Serpente Aeneo* Dei juſſu, a Moſe erecto derivant. In his ſunt Joh. Gerardus Voſſius [4], Huetius [5], Philip. Camerarius [6], Cellarius

1 *V. Acta Eruditor. Lipſiens. Anno* 1717. *Martii* & Kochium *l. c.* Si quod umquam veteratorii draconis indicium in profanis antiquitatibus quaerendum, illud potius in Serpente Heſperidum cuſtode ſublucere autumat Huetius *in Demonſtratione Evangelica Prop.* IV. Re enim vera in nummis Antonini Pii Gazae Gallorum, Getae Gazae Chriſtinae Auguſtae, Tarſenſium in honorem Gordiani Gazae Mediceae ſerpens arbori pomiferae vinctus, ac circumplicatus viſitur, Hercule mala decerpere conante. At num omnes omnino fabulas ex Sacris litteris repetere fas ſit, quod Huetio, multiſque aliis placet, anceps adhuc, incertaque res eſt; nec depravatae Ethnicorum opiniones ſemper cum his, quae divinitatis inſtinctu acciderunt, adamuſſim, vereque reſpondent.

2 *Exercit.* I. *inter opp. Pariſ.* 1751.

3 *Diſſertazione ſopra i ſerpenti ſacri. Saggi dell' Accademia di Cortona Tom. IV. Roma* 1743.

4 *De Theologia Gentilium lib.* IX. *cap.* XI. *Amſtelodami* 1695.

5 *Concordia Rationis, & fidei l.* II. *cap.* XII. *Pariſiis* 1693.

6 *Hor. Subciſiv. centur.* II. *cap.* IX. *Francofurti* 1658.

larius [1], De Boze [2], quibus probabilius viſum eſt, Ethnicos pro incredibili, quo tenebantur verae, caſtaeque Religionis imitandae ſtudio, Serpentem Epidaurium Deum ſalutarem, morborum Averruncum, Soſpitatoremque excogitaſſe, & arbori impoſuiſſe, quod in divinis libris legerint, Deo immortali monente, excitatum olim, perticaeque ſuprapoſitum a Judaici populi ductore ſerpentem, homines jam jam in deſerto interituros mira celeritate perſanaſſe. In quo tamen fieri minime poteſt, quin & ego dementiſſimam Marshami imprudentiam, vel impietatem potius deteſter, qui in Chronico Canone ait, Moſen in caſtris Iſraëlitarum ad exemplum praeſtigiarum, quas in Aegypto condidicerat, ſerpentem aeneum excitaſſe, quo *igneos incantabat* [3]. Quam improbe, quamque abſurde Moſi calumnia haec inſtruatur, ſupervacaneum eſt pluribus docere, quum non ab Ὀρθοδόξοις modo, ſed ab ipſis Catholici nominis oſoribus Wittſio [4], Deilingio [5], Vitringa [6], Kochio [7] ſit illa validiſſime exploſa. Nam quicquid in deſerto praeſtitum legimus in languentis populi ſanationem, non factum certe excantatione, a qua, Deo ſeveriſſime interdicente, Iſraël abhorrebat, ſed expreſſo Dei mandato; non malis diaboli artibus, ſed divina omnipotentia, piis Moſis precibus ſollicitata; non ducto ab Aegyptiis ſuperſtitionibus exemplo, ſed in typum venerandi, ſalutariſque ligni Crucis, in quam ſublatus Dei filius humanae naturae ruinas virtute ſua fulſit, & a crudeliſſimo, miſerrimoque interitu perditam gentem eripuit [8]. Veram igitur, abſolutamque cauſſam aperuimus, quare ſer-

1 *Orig. & Antiquit. Medic. Diſſert. Academicar. Parte* 1.

2 Loco ſupra indicato.

3 *Saec.* IX. *pag.*144. *Londini* 1672.

4 *Aegyptiaca lib.* 1. *cap.* IX. *Herboniae Naſſoriorum* 1717.

5 *Obſerv. Sacr. Part. II. pug.* 157. *Lipſiae* 1720.

6 *Obſerv. Sacr. Part. II. cap.* XI. *Frenequerae* 1712.

7 In libro paullo ante memorato *Sect. II. §.* IX. X. *&c.* ubi quae huc facere poſſunt, propemodum omnia a Kochio indicantur, qui & duas laudat Diſſertationes argumento conſonas, alteram Georgii Moebii *de Serpente aeneo, Lipſiae* 1686., alteram M. Henrici Scarbani *de Serpentis aenei ſignificatione Myſtica. Lubecae* 1714.

8 Vnus omnium eſt Eccleſiae tum Graecae, cum Latinae Patrum ſenſus, Crucem in hocce ſerpente fuiſſe divinitus praefiguratam. V. Gretſerum *de Cruce lib.* 1. *cap.* XLV. *Ingolſtadii* 1616. Altera de Serpente aeneo in Catholicos a Prideauxio conflatur ca-

re ſerpens Epidaurius medicae praeſit tabernae, & unde haec opinio ad Ethnicos deducta ſit, liquido evicimus; ſingulas idcirco pulcherrimi, elegantiſque noſtri marmoris partes nitide, diſerteque nos explicaſſe confidimus.

Si vero cujuſnam memoriae poſitum, dedicatumque illud fuerit, libeat poſtremo loco perveſtigare, multae ſane affulgent conjecturae, ut Archagathi nominis celebrandi cauſſa a Peloponnenſibus monumentum hoc excitatum non immerito credamus. Nam quum ex Peloponneſo Venetias, ut diximus, devectum fuerit, atque illuſtris cujuſdam Archiatri imaginem, factaque referat, quis prae Archagatho in tota provincia occurret, cui potius tribuatur? Inſignem ille fecerat virtutem, peritiamque ſuam non modo Graeciae univerſae, ſed etiam populo Rom. a quo propterea tanta cum dignitate, & honorum amplitudine in Vrbem rerum dominam accitus fuit [1]. Primae illi in medicina partes ſic tribuebantur, ut ad eum curationis ergo undique confluerent aegroti, atque a popularibus ſuis velut homo e coelo delapſus crederetur. Tum in arte urendi, ſecandique adeo fuit audens, peritus, & dexter, ut Quirites in magnam admirationem traduxerit [2]. Quid igitur probabilius, quam Pelopponnenſes ad perennandam conterranei ſui celeberrimi famam, a cujus doctrina, virtuteque tantum ſplendoris acceperant, hanc tabulam decreviſſe, in qua illius effigies, facultas, maximaque apud ſuos gratia marmori conſignata immortalitati commendaretur? Praeſertim quum illuſtrium Medicorum memoriae conſervandae, & gentium cultus erga illos teſtificandi gratia, non ſculpta marmora tantummodo, ſed

calumnia; quae quidem & biceps eſt. Scribit nimirum in Hiſtoria Populi Judaici lib. 1. bonos Mediolanenſes duplici teneri ſuperſtitione, ut Serpentem quemdam aeneum in Baſilica S. Ambroſiii adſervatum, cumdem eſſe credant, quem Moſes in deſerto conflari fecerat, atque huic religioſum cultum adhibeant. Tot mendacia, quot verba. Haec cordatis viris numquam inſedit opinio, nec veneratio ulla, cultuſque ſpecies ab Eccleſia Mediolanenſi Serpenti praeſtita. Vtrumque fuſius demonſtravit nuperrime P. Joſeph Allegranza O. P. *Spiegazione, e riſleſſioni ſopra alcuni ſacri Monumenti antichi di Milano. Diſſert. v. e VI. Milano* 1757. Quod ſi in imbecillium animos levis, vana, vel deridicula de hoc ſerpente aliquando irrepſit ſententia; praterquam quod fuit illa ab optimis Pontificibus damnata, quis umquam ex vulgi judicio id genus controverſias putabit eſſe aeſtimandas?

1 *V. pag.* 94.

2 Plinius *ubi ſupra*.

ſed multo ampliores honoris ſignificationes decretas, ſtatutaſque probe teneamus. Duo mihi ex omni antiquitate prodeant teſtes veritatis, quos olim doctae Athenae elegantiorum artium inventrices ſummo loco habuerunt. Quid Ariſtomacho poterat ſplendidius accidiſſe, cui ob ſingularem, eximiamque in arte medica peritiam ab Athenienſibus *Herois* nomen impoſitum [1], & Fanum exſtructum fuiſſe Demoſthenes dixit, quum de Aeſchinis parente loqueretur: *διδάσκων δ' ὁ πατὴρ γράμματα, ὡς ἐγὼ πρεσβυτέρων ἀκούω, πρὸς τῷ τοῦ ΗΡΩΟΣ τοῦ Ἰατροῦ*, *docens ejus pater litteras, ut ego a majoribus natu audio, ad Herois Medici fanum* [2]? Quid Toxaridis laudibus addi poteſt, de quo uno Lucianus ſcriptum reliquit: *Ἀθήνησιν ἀπέθανε. καὶ μετ' οὐ πολὺ καὶ Ἥρως ἔδοξε, καὶ ἐντέμνουσιν αὐτῷ Ξένῳ Ἰατρῷ οἱ Ἀθηναῖοι*; *Athenis diem obiit ultimum, & non multo poſt Heros habitus: ſacraque huic Medico peregrino Athenienſes faciunt* [3]? At ſi in praeſtantibus ingeniis auguſtum quiddam eſt, quod eminet, quod excellit, quod apud ſeros etiam nepotes nominis immortalitatem illis conciliat; adeptam a te jamdudum acerrimo judicio, ſolida eruditione, diuturniſque laboribus famae celebritatem, RONCALLE PRAESTANTISSIME, nulla certe dies, nullaque temporum vetuſtas oblivione delebit. Atque ampliſſima, nobiliſque

BRIXIA *Cenomanae princeps, & gloria gentis*,

licet vivis in omni diſciplinarum genere excultiſſimis abundans, tuo nomini perpetuum devota, ex hominum mentibus evaneſcere,

1 Heroes dicti ſunt a veteribus viri illuſtres, qui mortales quum eſſent, rerum tamen a ſe geſtarum magnitudine quam proxime ad Deos acceſſiſſe videbantur, eamque apud vulgus opinionem emeruerunt, ut poſt mortem in Deorum numerum relati crederentur. Hinc proculdubio repetenda cauſſa, cur Ariſtomachus *Heros* ſit dictus. Nam quum coeleſtis quaedam virtus medicina putaretur, qui eam bene, fortunateque exercerent, Diis pene ſimiles habebantur. Quare minus probatur plane incerta cujuſdam opinio apud Meurſium. (*Athenae Atticae lib.* III. *cap.* 1. *in Theſ. Gronov. T. IV.*), qui a corporis proceritate hoc Ariſtomacho agnomentum adhaeſiſſe ſcribit.

2 *De falſa legatione. Baſileae* 1572. *edit. Wolfii*. Sequor peritiorum auctoritatem, qui poſt verbo πρὸς τῷ, ſubaudiri oportere exiſtimant, ναῷ.

3 *In Scytha*.

ſcere, aut elabi numquam patietur, non tam divina medendi arte, quemadmodum in Peloponneſo Archagathus, & Athenis Ariſtomachus, atque Toxaris, concivibus te plurimum profuiſſe, quam optimarum litterarum, imprimiſque Antiquitatis, REIQUE NUMMARIAE ſtudia, te auctore, in florentiſſima urbe patria mirifice adoleviſſe. Ita fiet, ut omnis poſteritas ingenii, ſapientiae, laudumque tuarum non immemor illud de te merito uſurpet, quod de L. Attilio a Cicerone dictum legimus: *ſcimus apud Patres noſtros ſapientem fuiſſe appellatum* [1].

Verum quia futurum non dubito, ut dicax illud, & faſtidioſum hominum genus, cui nihil uſpiam, niſi quod ſuum eſt, probari ſolet, levem hunc vigiliarum mearum fructum, quem, te rogante, in lucem apparere permitto, carpere velit, reprehendere, vituperare, dictitetque, non tantum ſtudium, tamque multam operam in his rebus, quae ſola quandoque conjectura proſpiciuntur, eſſe ponendam; hos ego maledicos politiorum artium oſores ridendos potius, quam refellendos cenſeo, quum videam has ipſas litteras majores noſtros doctiſſimos in eo pretio, ac honore ſemper habuiſſe, ut in ipſis maximum vitae ornamentum, ac ſummum Reipb. bonum ſitum eſſe putarent; ad illas aquirendas omni ope ſibi enitendum crederent, parandaeque eruditioni tam ſingulari amore, ardentique ſtudio inſudarent. Quod ſi alterum fortaſſe mihi regerere inſtituent crimen, quod a ſe amoliri Tullius ipſe ſatagebat initio librorum de finibus, ubi illud habet: *poſtremo aliquos futuros ſuſpicor, qui me ad alias litteras vocent, & genus hoc ſcribendi, etſi ſit elegans, perſonae tamen, & dignitatis eſſe negent* [2]; nempe ſi exprobabunt, inania haec ſtudia a nobis, qui in ſortem Aaron vocati ſumus, ſacroque fungimur miniſterio, eſſe repudianda, & profana profanis concedenda: his ego iniquiſſimis cenſoribus ad hanc invidiam levandam, omnemque de his litteris vituperationem tollendam, ſanctiſſimum Theologum Gregorium Nazianzenum objiciam, cujus eſt magnifica illa, & digna ſapiente ſententia, quae rem univerſam conficiet, eademque noſtrae ſcriptioni terminum dabit. Οἶμαι δὲ πᾶσιν ἂν ὡμολογῆσθαι τὸν νοῦν ἐχόντων παίδευσιν τῶν παρ' ἡμῖν ἀγαθῶν εἶναι τὸ

πρῶ-

1 *De Senectute cap.* XVIII. 2 *De Fin. lib.* I.

πρῶτον, οὐ ταύτην μόνην τὴν εὐγενεστέραν, καὶ ἡμετέραν. ἣ πᾶν τὸ ἐν λόγοις κόμψον, καὶ φιλότιμον ἀτιμάζουσα, μόνης ἔχεται τῆς σωτηρίας, καὶ τοῦ κάλλους τῶν νοουμένων, ἀλλὰ καὶ τὴν ἔξωθεν ἣν οἱ πολλοὶ Χριστιανῶν διαπτύουσιν, ὡς ἐπίβουλον καὶ σφαλερὰν, καὶ Θεοῦ πόῤῥω βάλλουσαν, κακῶς εἰδότες .... οὐκοῦν ἀτιμαστέον τὴν παίδευσιν, ὅτι τοῦτο δοκεῖ τισιν, ἀλλὰ σκαιοὺς, καὶ ἀπαιδεύτους ὑποληπτέον τοὺς οὕτως ἔχοντας. *Arbitror, inter omnes ſanae mentis homines conſtrare, eruditionem inter mortalium bona principem locum tenere, & non de hac noſtra (* ſacra *) tantum loquor, quae, ſpreta omni ſermonis venuſtate, atque ornatu, unice ſaluti, & earum rerum, quae ratione, & animo intelliguntur, pulchritudini arctiſſime haeret, ſed etiam de externa, quam plerique Chriſtiani pravo quodam judicio, ut inſidioſam, & periculoſam, quaſique a Deo avertentem aſpernantur. Non igitur eruditio contemnenda eſt, quod ita quibuſdam videatur; quin potius ſtulti, & imperiti habendi ſunt, qui hoc exiſtimant* [1].

Q

1 *Orat. xx. de Laud. Baſilii Magni. Pariſiis 1609.*

ΤΕΛΟΣ.



Digitized by Google

SINGVLARVM SECTIONVM

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ.

SECTIO PRIMA.

Hiſtoriae, & rei nummariae ſtudia omnino copulanda. Nummi III.viri Marci Antonii Romanis antiquitatibus explicandis quantum luminis ſuppeditent. Legionarius explicandus ſuſcipitur. Argumenta indicantur harum obſervationum. Quibus attexenda anaglyphi Medici interpretatio proponitur. Honores Archiatris olim decreti. pag. 5.

SECTIO SECVNDA.

Nummi Antonii adulterini, aut ex impuro metallo. Locus Plinii eo pertinens. Pſeudonummis dignoſcendis plurima accuratio adhibenda. De nota numerali noſtro affixa. Pugnatum olim a Romanis exiguo numero Legionum. TRICESIMAE *laudes ex marmoribus litteratis.* VLPIA *cur, & quandiu dicta. An etiam* TRAJANA *nuncupata.* pag. 10.

SECTIO TERTIA.

Robortellum fortaſſe primum Dionis teſtimonium de veteri legionum numero perverſe ſollicitaſſe. Tacitus perperam ad eundem elevandum adductus. Varia Appiani loca de legionibus tranſfricesimis explicantur, ac conferuntur. Inter Antonianas XXXV. *recenſenda.* TRICESIMAM *eiſdem adjungendam, ex Paterculo colligitur. Dictorum conſectaria.* pag. 14.

SECTIO QVARTA.

Aquila inſigne Legionum in nummis Antonii. Cur is triremem in eiſdem conſtanter exculpi fecerit. Quae a Plutarcho de M. A. & Cleopatra perhibentur, minime poetica eſſe, ſed cum numiſmatum typis omnino convenire. Navem illam Praetoriam *eſſe, conſultoque velis, maliſque deſtitutam repraeſentari, ex Herodoto, Tacito, Polyaeno, Xenophonte, Livioque evincitur.* pag. 20.

SECTIO QVINTA.

Num Antonianae claſſis triremes, quales in nummo comparent. παρέκβασις *de navium bellicarum ſtructura. Vetus ſyſtema de remigum ordinibus* ἀνωτέροις, καὶ κατωτέροις *cum antiqui monumentis, prae omnibus, cohaerens. Huic demonſtrando aereus Carauſii num-*

 mus

mus anecdotus, & Pictura domus Augg. ex Cod. Vaticano in conſpectum producitur. Eidem omnino ſuffragari Lucani, Vegetii, Pauſaniae, Arriani, aliorumque veterum ſcriptorum locutiones. Silius Italicus perperam a nonnullis explicatus. Ingentes naves a Syriae, aut Macedoniae Regibus inſtructae, an ſyſtema illud excludant. pag. 25.

Sectio Sexta.

Quare Herculea emblemata in nummis M. Antonii Conſularibus tam frequenter occurrant. Dignitates, quas Antonius in Republica eſt conſequutus. De illius Auguratu, quem ſic ambitioſe retinuit. Characteres illi AVG. noſtro denario inſcripti, perverſe a Larreio explicati. Suppoſititius nummus de Antonii Auguratu ab Oiſelio productus. Cetera auguris ſymbola in Antonianis nummis indicantur. Alia Sacerdotia M. A. obtinuiſſe, oſtenditur, ſed Dianae Epheſiae Flaminem fuiſſe, negatur. De uſu, & valore hujus noſtri nummi inquiritur. Pro diurno militum legionariorum ſtipendio fuiſſe cuſum, & decem aſſibus permutatum, probatur. pag. 36.

Sectio Septima.

Nummorum aeſtimandorum ſcientiam exercitatione, uſuque potius, quam varietate litterarum comparari. Nuperi Ariſtotelis, Biantis, Artemiſiae, Scipionis nummi a viris doctis genuini, & antiqui crediti. Sylloge aliquot argenteorum, qui ſaeculo XVI. in eadem officina percuſſi. De nummo Homeri muſei Farneſiani. Ementiti alii Graecorum heroum. Hiſtoria nummi Graeci M. T. Ciceronis ex Cod. Vaticano commercii epiſtolici Fulvii Vrſini attexitur. Latinus a Lambecio editus quanta laboret ſuſpicione. Alius ex muſeo Oliverio nitidiſſimi operis, cujus diagramma exhibetur. pag. 46.

Sectio Octava.

Aurei, ut vocant, Metalliones qua aetate cudi coeperint. Hallucinatio, quae hac in re Clariſs. Gorio excidit. Weidneri error indicatur. Numiſma ἀδόκιμον ΡΑΦΑΝΕΩΤΩΝ uni Chamillardo, & Harduino probatum. Martinii commentum de Meſſeniorum imperio, & Jovis Ithomatii ſacris. Duo pſeudonummi Conſtantiniani ab Hekelio illuſtrati. Goezius deceptus ab inſititio Aquilae ſigillo in nummo Germanici. Quid nummus Domitiani, ab Obre-

ctho

ctho Iſiacus nuncupatus. Vanae quaedam, futileſque Eccardi ad nummos Latinos obſervationes recenſentur, ac refutantur. Maſſilienſium, Iſtrienſium, Hadriani nummi Graeci ab eodem perperam MARCO ANTONIO, Tyro, & Auguſto attributi. Corollarium. pag. 56.

SECTIO NONA.

Varia antiquariorum judicia de Tetragonis *incuſis, quae in vetuſtiſſimis Graecarum urbium nummis viſuntur. Wildii, Begeri, Witzlebenii, aliorumque opinio rejecta. Recens de illis Cl. Barthelemy ſyſtema proponitur, fuſius explicatur, noviſque argumentis conſtabilitur. Praeſtantiora quaedam numiſmata anecdota ex lectiſſimo muſeo Marchionis Ant. Savorgnani cavo quadriformi ſignata proferuntur, & illuſtrantur. Actium omnium fortunarum, laudumque MARCO ANTONIO terminus. Nomen ipſius e publicis monumentis quandonam eraſum. Medici prae ceteris jamdudum antiquitatibus colligendis, interpretandiſque dediti.*

pag. 65.

SECTIO DECIMA, ET VLTIMA.

ΠΑΡΕΚΒΑΣΙΣ *de tabula anaglypta Peloponnenſi. In ea Medicum Sellularium repraeſentari. Medicos olim apud Graecos, & Romanos in taberna, qui curationis cauſſa venirent, expectaſſe, Antiphontis, & Archagathi praeſertim exemplo probatur. Vetus controverſia de medicorum conditione denuo inter Meadium, & Middletonium exagitata. Schlaegeri, & la Motte de ea judicium. Scientiae medicinali vacaſſe viros tum publicis officiis illuſtres, cum politioribus litteris apprime excultos. Vtramque medicinae partem* κατηγητικὴν, καὶ δημιουργικὴν *eoſdemmet homines quandoque exercuiſſe, Pindari, Xenophontis, aliorumque teſtimonio oſtenditur. Veteres Juriſconſulti ad eam rem teſtes acciti. De veſte medica, deque ſella, & hipopodio. Pictura codicis Dioſcoridiani Medicorum concilium referens. Ferramenta chirurgica diptycho penſili inſerta ex Medicorum priſcorum doctrina illuſtrantur. De miniſtro* πημενταρίῳ *inſignis Olympiodori locus. Mulier ſtolata quamobrem a quadratario heic expreſſa. Quorſum ſpectet equus cum manuductore. An vir ſedens fortaſſe etiam* Ἱππιατρὸς? *Medicinae equariae apud antiquos exiſtimatio, & ſcriptores. Serpens Epidaurius arbori circumvolutus aptiſſimum tabernae medicae in-*

cae inſigne, & ſymbolum. 'Οφιολατρεία ab Ethnicis ex hiſtoria Judaica perverſe ducta. Marshami calumnia de Serpente aeneo depulſa. Archiatris templa, & ſacrificia decreta, quum eſſent inter Heroas annumerati, Ariſtomachi, & Toxaridis exemplo docetur. Operis concluſio. pag. 90.

Digitized by Google

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Pal. Apoſtolici.

F.M. de Rubeis Patriarcha Conſt. Viceſg.

IMPRIMATVR

Fr. Vincentius Elena Ord. Præd. Reverendiſs. P. Mag. Sacr. Pal. Apoſt. Soc.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google